

1  
2  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34



1666.

26. Semmidecius, Joh. : De consensu imperii  
et obsequii in republ. Rom. Germanica.
27. Schroeter, Ernestus Fridericus : Ad quod justum est et  
necessarium in momento
28. Schroeter, Ernestus Fridericus : De agris.
29. Schroeterus, Ernestus Fridericus : De remediis fallendi  
liberum divortium in processu civil. prima ac  
secunda instantia.
30. Schroeter, Ernestus Fridericus : Explicatio Tit. 8, 9, 10,  
lib. II pens. ac ad haec spectantes notiores controversiae  
sive succincte resolutae
31. Schroeter, Ernestus Fridericus : De caede seu homicidio
32. Schroeter, Ernestus Fridericus : De delictis vitiosis  
judicis.
33. <sup>610</sup> 610. Shuonius, Georgius Adamus : De actionibus in rebus  
scriptis
34. Shuonius, Georg Adamus : De febrili cessionis adjutorio

1666.

- 35<sup>a, b</sup> Struvius, Georgius Adamus: De jure colonariorum sive  
coloniarum non perpetuarum sed simplicium 2 Sumpt.  
1666 & 1719
- 36<sup>a, b</sup> Struvius, Georgius Adamus: De consensu.  
2 Sumpt.
37. Struvius, Georgius Adamus: De iudiciis cum annexis  
quaestio de proba per aquam frigidam sagittam.  
Rec. 1714
- 38 Struvius, Georgius Adamus: De iure.
39. Struvius, Georgius Adamus: De aquaeductibus.
- 40 Struvius, Georgius Adamus: De societate.
- 41<sup>a, b</sup> Struvius, Georgius Adamus: De actibus et contractibus  
correspondentibus 2 Sumpt. 1666 & 1755.
- 42<sup>a, b</sup> Struvius, Georgius Adamus: Characteres status. I.  
Rom. Rom. imperii.
- 43<sup>a, b</sup> Struvius, Georgius Adamus: De pactis renunciatiis  
2 Sumpt. 1666 & 1733.

1666

44. Ingeris leg. 10. P. de jurisdictione

45. Tölemann, Buchhändler Heusen: Iura vigilantes  
sunt scripta.

46. Tronckhusius, Georgius: Ante fiat, quod animata  
quaedam directa diu noveantur, quaedam vero  
novissime?

47. Wintheim, Statius Harbordus: De jure salvi  
conductus.





*3. 180. 566*  
*30.*

DISPUTATIO FEUDALIS

Continens explicationem

TIT. II. IX. X. LIB. II. FEUD. ac ad

*5*

hosce spectantes nobiliores

controversias succinctè re-  
solutas,

*Quam*

DIVINA ADJUVANTE CLEMENTIA  
CONSENSU MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS IN  
ILLUSTRI SALANA,  
PRÆSIDE

PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTIS-  
SIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. ERNESTO FRIDERICO

*Schröter* / Hæreditario in *Wickershadt* / Juris Consulto  
ac Antecessore hujus Academiæ Celebratissimo, Consiliar. Saxon. Cu-  
ria Provinc. Facultatis Jurid. ac Scabinatûs Assessore  
gravissimo,

Dn. Promotore ac Doctore suo omni observantiæ &  
venerationis cultu prosequendo, excipiendo,

*Mense Februar.*

H. Lq. C.

*Publicæ Eruditorum censura submittit*

JOHANNES GEORGIUS *Lange*  
Altenb.

Typis JOHANNIS WERTHERI,  
ANNO M. DC. LXVI.

*Ernst Schröter*  
*II. 3. 8*



DISPUTATIO FEUDALIS

Tit. IX. Lib. II. Feud. ac ad

habeat spectantes nobiliores

PRÆSIDIO  
PRAESIDE

FRIDERICO

in Artibus et Technicis in Spinae  
in Artibus et Technicis in Spinae

Dr. Promotor ac Doctor in omni obsequiis

JOHANNES GEORGIVS LANGA

in Artibus et Technicis in Spinae



**I**N cathedra tentas JURIS dissolvere nodos,  
Hinc insigne decus surgit, *Amice, TIBI.*  
Successu faustō DEUS hęc tua cępta secundet,  
Quo TIBI, quō PATRIÆ commoda multa ferant.

*Hęc paucula  
In honorem præclariss. Dn. Respond. J. U. C.  
Amici ac Fautoris sui honoratissimi gra-  
tulab. apponere voluit*

**M. Joh. Jonas Ditscherus,**  
SS. Theol. Stud.

---

*Clarissimo*  
**DN. JOH. GEORGIO LANGEN**  
J. U. C. optimè digno,  
*Fautori, Conterraneo & amico suo exo-  
ptatissimo;*

**SALUTEM OFFICIOSAM!**  
**S**emina jam spargis, Messis mox larga remittet  
Fruges, quas poscunt Musa laborque Tuus!

*Ita ἀποχεδίας ἀλλ' ὀλοκαρδίως*

**M. Philippus Zeisoldus,**  
P. Cor. C.

---

**I**Nvestituram, Feudalia jura, Fideles,  
Astræa dictante refers, quæ bona sequantur  
Suavis Amice rogas? (adspirent Numina votis)  
En bonus augur ero, redimitum fronte tiara  
Purpurea, Phæbo Musisque faventibus, olim  
Iena Sacerdotem Themidos Te investiet alma.

*Sic Clariss. Dn. Respondenti, Sympa-  
triotæ ac Fautori suo hon oratissi-  
mo ὀλοφύχως favebas, applaudebat*

**Frid. Imm. Caselius,**  
Altenb.

Xls

Als der Saalenfluß jüngst noch ungeharnischt war  
Ging ich ungefehr auf den grünen Wasser schrancken  
Da trat bald zu mir Themis mit der Nymphenschaar/  
Die erweckten mir sehr viel schöne Lustgedanken.  
Themis unser Herz und der hohen Fürstenlust/ (zieret/  
Sprach zu mir: mein Freund / ich hab einen Kranz ges  
Der Herz Längen sol/ dem Gerechtigkeit bewußt/  
Der nur reiffen Raht/ Kluge That im Schilde führet;  
Mache dich geschwind mit dem Federkiel bereit/  
Daf du nach gebühr Kanst mit greisen Ruhm besingen  
Seinen blaffen Fleiß/ seine Kunst und Trefligkeit.  
Nun mein Herzens-Freund / solches müsse wohl gelingen:  
Schreite rühmlich fort/ biß dir obgedachten Lohn  
Unsre Themis-Hand um die weisen Schläffe schräncket.  
Meine Elio stehe und erwartet solche Krohn/  
Fama hat sich auch sternenwerth zur Fahrt gelenket.

Auf Schuldigkeit fügte solches seinen höchstwertheften  
Freunde und Landsman Glückwünschend hinzu

Joh. Friedr. Schenell/ der  
Recht. Best.

Als wir bey den Griechen oft und in Römerschriften lesen/  
Wie ein Kunstbelobter Mann seines Vaterlandes wesen  
Hab in Ruhm und Flor gesetzt / so daß sich es vorge  
macht/ (lacht;  
Und mit rühmlich stolzen prangen auch die größten nur ver-  
Solches sieht man iht bey uns / Werther / wahr an Dir auch  
bleiben /  
Weil Dein liebes Vaterland Ruhm und Flor Dir zu-wil-  
schreiben  
Altenburg wird mit Dir künfftig sich der größten Stadt  
vorzieh'n  
Und mit Deinem Ruhme prangen. Phœbus lasse Dich  
nun blüh'n!

Solches setzte seinem Vielgeehrten Herrn Landesmanne  
zu ehren in Jena

David Andreas Feuerlein/  
Phil. & S S. Theol. Stud.

M(o) 10



TIT. IIX.

DE INVESTITURA DE RE ALIE-  
NA FACTA.

CONTINUATIO.



Um supra in præced. tit. §. fin. de-  
monstratum sit, quomodo Dominus, qui  
investivit vasallum de feudo novo, & rece-  
pit ab eo fidelitatem seu juramentum fide-  
litas, obligatus sit præcisè ad tradendam  
ipsi corporalem possessionem dicti feudi;  
Et verò accidere possit, ut Dominus de re aliena, vel alteri  
obligata aliquem investiverit, & tunc quæstio oriatur, u-  
trum Dominus vasallo de evictione teneatur? ideò, ut tolla-  
tur hæc dubitatio, præsens titulus fuit subjectus, in Cujus  
prima parte de hac evictione tractatur; In altera verò de  
Jure, quod vasallus investitus in feudo habet.

TEXTUS.

Cum de re aliena, vel alii obligata investitura  
fiat, illud distinguitur: (a) Utrum scienti, an  
ignoranti facta sit, (b) Qui enim alienæ rei  
sciens investituram accepit, nisi pacto speciali sibi  
prospexerit, de evictione agere non poterit; (c)  
ignorans verò rectè aget, (d) ut aliud ejusdem  
bonitatis seu quantitatis ei præstetur. (e) Sed in co-  
nulla est differentia, qui investituram fecit, utrum  
sciverit, an ignoraverit. (f)

A

ELA-

E L A B O R A T I O.

(a) Id est, ita distinguitur. (b) Et hæc distinctio etiam applicatur ad eum casum, ubi feudum emptum est. Ita siquidem scribit *Dn. Frantz. p. m. in com. ad w. tit. d. Eviēt.* Si ignorans quis rem feudalem emit, venditor vel ejus heredes indistinctè de evictione tenentur. *c. 1. §. si vasallus, si de feudo def. fuer. cont. int. agn. & vasall. 2. feud. c. 1. §. 26. vers. emto- re 6. f. d. prob. feud. alien. per Frid. 2. feud. 55.* Ac aliàs etiam fundata est quoad emtionem in Jure Civili *l. ex emto 11. §. qui autem Ad aēt. emt. l. non dubitatur junct. l. si fundum 22. ibi: ignorans. C. d. eviēt.* ut & Saxonico *part. 2. Nov. Elect. Sax. const 49 in pr.* (c) Contractus enim ex conventionione partium legem accipiunt. *l. 1. §. si conveniat ff. d. pact. & in materia evictionis semper plus operatur specialis provisio quam generalis. l. queritur §. si venditor. ff. d. edil. edict.* Nec obstat. *vers. Callidis de probib. feud. alien. per Frid. 2. Feud. 55.* ex quo patet, quod emtor rei alienæ feudalis sciens non possit sibi providere, etiam per speciale pactum, ut agere queat. Nam resp. *ibi* emisse quem lege prohibente. Unde cum faciat contra legem, non potest gaudere beneficio suæ provisionis *l. non dubium §. C. d. LL.* Hic autem vasallus recipiendo talem rem in feudum non faciebat contra legem prohibentem, ergò tenebit sua specialis provisio. *Alvarott. hic n. 4.* Sed temeritati suæ hanc jacturam imputabit. Scienti namq; & volenti non fit injuria. *l. cum donationis C. d. transaēt. c. scienti. X. d. R. 7. in 6.* (d) Sive Dominus in constitutione feudi & formatione inceperit à traditione; sive traditionem realem alia præcesserit promissio. *Alciat. conf. 172. n. 8. Roland. conf. 50. vol. 3. in 26. & Rosenth. d. feud. c. 8. concl. 29. n. 3.* Nec obstat, quod feudum sit donatio vel benivola actio aut beneficium. *§. sciendum. de feud. cognit 2. feud. 1.* Donator autem de evictione non teneatur. *l. 2. C. d. eviēt. l. 18. in fin. ff. d. don. R.* enim distingvendo inter donationem simplicem, & quæ ob causam facta est. In simplici donatione evictio non præstatur secundum allegatas LL. Feudum verò est donatio ob causam, ut nimirum pro feudo Domino præsten-

præstentur servitia. Ut autem hoc in casu rectè agat va-  
fallus adversus Dominum de evictione præstanda, & Domi-  
nus etiam illam præstare teneatur, sequentia deside-  
rantur. Primò; Ut litem motam Domino tempestivè de-  
nunciaverit. Actio siquidem de evictione quasi sub hac  
conditione dari dicitur, si denunciatum, & res iudicio evicta  
sit, ut passim habetur in Legibus vid. *l. venditor. 8. l. si ser-*  
*21. l. non tamen 24. l. si dictum. 56. §. 1. & l. seqq. ff. & l. 8. C. d.*  
*Eviç.* quæ specificè est implenda: Unde etiam *Modest.*  
hunc actum necessitatis dicit in *l. Herennius 69. ff. d. 1.* Id quod  
in tantum procedit, ut etsi Dominus feudi præsens sit, & litem  
motam esse sciat, tamè ipsi denunciatio facienda sit. Ita enim  
scribit *Rosentb. d. feud. c. 8. concl. 30. n. 4.* De evictione non  
agit vasallus, nisi litem sibi motam Domino nunciârit. Nam  
quamvis, multi sentiant sufficere, venditorem emtori litem  
motam citra denunciationem ejus à tertio aut aliunde scire,  
tamen frequentior est doctrina, quod illâ scientiâ non ob-  
stante, denunciatio fieri debeat. Siquidem etiam scienti de-  
nuntiandû est, cum denunciatio non solum, ut quis certior  
fiat, sed præterea ut aliquid faciat, nimirum in præsentem casu  
vasallû defendat, desideretur. Diximus tempestivè; Tempus  
verò intra quod denunciatio fieri debet constitutû & deter-  
minatum est in *l. si rem 29. §. fin. ff. d. eviç.* Ubi dicitur: Quod  
quolibet tempore venditori denunciari possit (& ita etiam  
post litem contestatam) modò non prope ipsam condem-  
nationem id fiat. Ut scilicet adhuc sit integra defensio  
venditori, si quam novam velit facere, quod fieri potest,  
si non tantum in causa nondum conclusum, sed & atte-  
stationes nondum publicatæ. *Covarr. 3. variar. resolut. cap.*  
*17. n. 8. Salicet ad d. l. 29. §. ult. Nec obst. l. 29. §. 3. ff. d. leg. 3.*  
ubi priusquam iudicium accipiatur, denuntiationem here-  
di fieri dicitur. Distingvendum enim est cum *Bach. ad Tr.*  
*Disp. Tb. 7. lit. A.* inter causam venditionis & legati, quam  
dist. pluribus deducit. *B. Frantzk. in com. ad Pand. tit. de*  
*eviç. n. 703.* quem vide. Secundò requiritur, ut feudum  
coram iudice competente judicialiter sit evictum *l. non*

tamen 24. l. non habere 5. ff. d. evict. Si enim ultro petitori rem restitueret, etsi bona fide fiat, justitiam causæ ex parte petitoris agnoscendo, actio de evictione locum non haberet. Dn. Frantz. d. evict. n. 756. Expectanda igitur est sententia judicialis, per quam justitia evincentis declaretur. Actionem autem, quod concernit, de qua textus loquitur, scribit de illa supra allegatus Rosenth. d. c. 8. concl. 29. in fin. quod vasallus possit uti actione ex stipulatu, si stipulatio intervenit, vel etiam conditione ex moribus, quæ ad omnia, ad quæ Dominus vasallo, & contra vasallus Domino feudi Q. tenetur, referri potest. Cæterum quæritur I. An etiam tunc ad evictionem præstandam teneatur Dominus, quando investivit Vasallum cum hac clausula: Salvo jure, vel salvis juribus alienis? Negant hoc communiter Feudistæ Isern. in c. 1. d. lege Corrad. n. 2. Matth. d. Afflict. n. 3. & 9. ibidem & ad n. text. n. 3. Borch. d. feud. c. 9. n. 16. Schneid. p. 4. n. 38. & 96. putantes hanc clausulam hoc operari, quod Dominus tantum de Jure, quod in re habet, non autem de alieno teneri velit, ita ut duo ablativi sint in conditionem hoc modo resolvendi: Concedo ita, ut jura aliena aliis maneant salva, nec ego ea præstare teneat. In dubium tamen rectè vocat hanc opinionem Zasius & sapius allegatus Rosenth. d. l. dicendo Dominum, nisi vasallo emtori rem alienam esse constiterit, omnino de evictione teneri, hac clausulam non obstante, cum isti duo ablativi resoluti jus alienum quidem salvum, nec tertio concessionem obesse debere probant, nihil verò dicunt, quod Dominus evictionem præstare nolit, aut non Q. debeat. Posset autem quis adhuc II. Quærere: An Vasallus in judicio conventus nomiando autorem suum ipse judicium evitare possit? Respondemus autem quod non. Quoniam defensio Domini fit saltem assistendo, non litem in se totam transferendo h. emti actio 21. C. d. evict. l. 1. C. ubi in rem agitur l. qui absentem 75. ff. d. proc. Adeò, ut nec si velit Dominus in se solum judicium suscipere, & vasallum seu investitum liberare, hoc invito actore facere possit. Ex possessione enim rei, quæ est penes investitum  
juxta



juxta seq. vers. hujus textus, actor vindicans jus sibi acqui-  
 sitivum, quod illi invito auferri nequit. Et hanc nostram  
 sententiam ampliat *Rosentb. d. feud. d. cap. 8. concl. 30. in fin.*  
 sive solum super jure suo, sive super re in solidum, vel etiam  
 saltem, quod autorem in dominum cognoscere debeat, con-  
 veniatur. Atq; in Camera Imperiali eam receptam esse te-  
 statur *Mynsing. cent. 2. obs. 58.* III. Quæritur: Si vasallus <sup>Q.</sup>  
 non apud judicem, sed arbitrium fuit victus, num Dominus  
 teneatur de evictione? Ad quam quæstionem etiam re-  
 spondendum est Negativè. 1. Enim non licet vasallo com-  
 promittere sine auctoris vel Domini consensu. 2. Facit huc  
*l. si dictum. 56. §. si compromisero 1. ff. d. evict.* 3. Quod vasallus  
 nulla necessitate hoc faciat, atq; ita ipse sibi causam præsti-  
 terit, quo minus rem habere tenere liceat. Nec obstat *l. si  
 rem 29. ff. d. evict.* Loquitur enim de longè alia specie & casu,  
 ubi pretium nondum solutum, & de exceptione danda, quæ  
 aliàs longè facilius quàm actio conceditur: *Mudeus in tr.  
 d. act. erat. Rubr. quando commit. stip. n. 13. seqq.* Si tamen per  
 statutum, aut aliquo alio modo quis arbitros eligere, & ita  
 quasi necessitate cogente compromittere cogatur, actio de  
 evictione locum habet; Tunc enim ex forma statuti vel le-  
 gis eadem vis arbitrorum & judiciorum facta est, & laudum  
 pro sententia habetur. *Mudeus d. l. (e)* Etenim effectus hu-  
 jus actionis non consistit in duplo, quod quandoq; ex jure  
 Communi evictionis nomine præstari debet *l. quod si nolit. §.  
 quia assidui. ff. d. evict.* sed in hoc ipso, ut vasallus vel feudum  
 æquivalens, vel pretium in aliud feudum convertendum  
 consequatur; atq; ita alternativè petendum esse videtur  
*Laud. ad h. t. n. 7. Alvarott. n. 1. Schenck. Baron. 2. & 3. Sonsb.  
 part. 15. n. 61. Wesenb. d. feud. c. n. 7. & c. 9. u. 17. Broch. d. feud.  
 p. 9. n. 14.* Insuper tamen consequitur interesse & factas me-  
 liorationes, juxta *l. 9. C. d. evict. Gl. in c. 1. si de feudo vasal-  
 lus ab aliquo interpellatus.* Sic etiam conferens alicui  
 beneficium Ecclesiasticum, hoc evicto, ad æquivalens ei præ-  
 standum obligatur *c. presentium c. 7. q. 1. & cap. inter cætera.  
 x. d. præbend.* ubi dicitur: Quia præbendam ei, quam de  
 A 3 jure

jure non potuit, assignavit, eam quam de jure potest, assignet, ne præbendam ei fraudulenter visus sit assignasse: Et horum ratio est, quod adjuvari nos, non decipi beneficio oporteat *l. in commodato. §. sicut autem ff. comm. Capyc. c. feudorum evictionis col. 1. §. amplia secundò. (f)* Cum dolo careat, & vasallus sibi imputare possit, cur acceperit *arg. l. qui sciens 22. C. d. evict.* Nec hoc iniquum censendum est. Potuit enim ejus rei probam habere notitiam. Imò ridiculum est, sunt verba Schenk Baronis h. l. dicere, quod per ignorantiam alienam rem aliquis quasi propriam occupaverit. Omnes enim scire debent, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere *l. cum quærebatur C. unde vi.* Quemadmodum igitur non inter est emtoris, quomodo fallatur, an ignorantia venditoris, an *calliditate l. 1. §. in summa. ff. d. edit, edict.* ita nec interest investiti, an ignorantia investientis fallatur, an *calliditate*, nisi alienæ rei scientiã investitus quòq; habuisset; Tum enim obligationem nullam cum investiente contraxit. *arg. l. si in emtione. §. item si ff. d. contr. emt.*

T E X T U S.

**R**Ei autem per beneficium rectè investitæ (a) vasallus hanc habet potestatem, ut tanquam Dominus (b) possit à quolibet possidente sibi quasi vindicare: (c) Et si ab alio ejus rei nomine conveniatur, defensionem opponere. (d) Nam & servitatem ei rei debitam petere potest & retinere. (e)

E L A B O R A T I O.

(a) Non abusivè, sed realiter; (id quod vult verbum: rectè, quamvis etiam reflexum habere possit ad rem alienam, ita ut sensus sit: si autem quis de re investientis propria fuerit investitus.) Abusivâ etenim investiturâ quasi

quasi seu utile dominium non transfertur, sed saltem obligatio, ita ut Dominus sit obstrictus ad rem tradendam; vassallus verò ad fidelitatem præstandam, adeoq; tribuit vassallo non jus in re, sive ipsum jus feudi, sed solùm jus ad rem; siquidem nullibi in Jure feudali specialiter dispositum reperitur, absq; traditione dominium utile sive jus feudi transferri; observanda ergo juxta 2. feud. 1. pr. vers. strenuus: juris civilis regula, quæ vult, quod sine traditione, vel eo, quod loco veræ traditionis est, dominium aut aliud jus in re in alterum non transferatur l. 20. C. d. pact. Investituram autem abusivam traditionem esse in Jure itidem non legitur, sed potius contrarium apparet ex 2. feud. 2. pr. Diss. Duaren. d. feud. c. 7. Finckelth. disp. feud. 7. c. 3. & Gudelin. d. feud. & c. 5. n. 10. qui seqq. utuntur rationibus I. Quod investitura sit loco traditionis cum e.g. hasta, vexillum &c. loco ipsius rei s. feudi traditur arg. §. 45. f. d. rer. div. Verùm resp. porrectionem hastæ & similem non esse fictam traditionem, sed solennitatis causâ saltem intervenire. Si enim investitura abusiva fictum tradendi modum contineret, non solùm jus feudi, sed & possessio per eam transferretur. Quod autem possessio nõ transferatur, constat ex h. n. t. Imò ipsa symbola hæc, ut rectè cum Rittersh. part. feud. lib. 1. c. 8. q. ult. observavit Dn. Struve in Syntagm. Jur. feud. c. 8. 1b. ostendunt, iis non significari veram traditionem, cum illorum longè alia sit ratio atq; conditio, quàm istorum, quæ in LL. Civilibus habentur: His signis v. g. clavibus, ad rem spectantibus, res ipsa signata præsens conceditur & occupatur; Illis verò symbolis, utpote ad rem non pertinentibus, imaginariè res absens solennitatis causâ repræsentatur, sicut aliàs in actibus solennibus aliis varii ritus solent adhiberi. II. Urgent, quod generaliter 2. feud. 1. in fin. scriptum reperitur, investiturâ feudum constitui & acquiri; sed resp. textum intelligendum esse de vera & propria investitura; hæc enim κατ' ἐξοχήν investitura dicitur, & illam feudi acquisitio sequitur. Manet ergò verum, per investituram abusivam, quâ talem, & quatenus persistit in nudis repræsentationis terminis jus in re  
non

non acquiri, sed opus esse, accedat id, quod actum constitu-  
tionis & acquisitionis perficere dixim⁹, & tunc demum juxta  
nostrum textum obtinet, quod vasallus de re rectè investitus  
habeat potestatem rem vindicandi. (b) Hæc verba clarè  
ostendunt, vasallo competere dominium quoddam; illud  
verò non esse plenum nec proprium, neq; etiam tale, quale  
ipsi domino feudi competit, sed esse Jus, quod ad illud pro-  
ximè accedit, magnamq; cum illo similitudinem habet; Id  
quod à Dd. utile dominium appellatur, & est nihil aliud  
quàm jus h.e. potentia seu facultas quædam moralis aut le-  
galis re plenissimè utendi fruendi, atq; de illa pro arbitrio,  
quodammodo tamen restricto & dependente ab alio, di-  
sponendi. Nihilominus hoc negant. *Borch. in tr. d. feud. c. 1.  
n. 13. secutus Cujac. in tit. 5. lib. 1. feud. & Hottom. in disp. feud.  
c. 4. qui moventur 1. Quod feudum sit ususfructus 2. feud. 231  
circ. fin. 2. Quod utile dominium merum sit figmentum,  
nec tale dominium jus nostrum agnoscat. Verùm  
hæc argumenta facili negotio diluti possunt. Ad primum  
enim resp. feudum quidem esse ususfructum, sed talem, qui  
præter jus utendi fruendi alia plura in se complecti-  
tur, & quidem ea, quæ aliàs soli domino competere solent,  
ut ita à nudo & simplici ususfructu, qualis est ille allodialium  
bonorum ususfructus, plurimum differat feudum, magnam-  
que habeat cum dominio affinitatem. Quoad 2. resp. illos  
solum de vocabulo litigare, quod fructum non habet, ubi  
de re ipsa satis constat. Jam verò esse jus quoddam, quod  
non sit quidem plenum dominium, sed proximè ad illud ac-  
cedat, maximamq; cum eo cognationem habeat, negare  
non possunt, & si negarent, convincerentur manifestis tex-  
tibus tam Juris Civilis in l. 1. ff. si ager. vect. junct. l. 12. C. de  
fund. patrim. quàm juris feudalis in h. n. tit. Si itaq; nolunt  
hoc dominium appellare utile, appellent quasi dominium  
juxta nostrum textum: nobis sufficiat, quod de re ipsa ex jure  
constet. Interim tamen nomen hoc, utilis dominus, à re ipsa  
non abhorret; ab effectu enim & quidem potissimo, qui  
est utilis seu quasi vindicatio, quæ ex dominio isto nascitur,  
desum-*

desumptum est: hujusmodi verò appellationes optimæ sunt  
& ad effectum rei exprimendum commodissimæ. (c) Uti ergò  
quasi dominium dictum fuit jus, quod vasallus per veram  
atq; propriam investituram consecutus est, ita actio exinde  
resultans hîc quasi vindicatio appellatur; Qualis enim cau-  
sa talis solet esse effectus. Controvertitur autem, I. An <sup>2.</sup>  
vasallus adversus Dominum possit instituere interdictum  
unde vi? Videtur quidem hoc esse affirmandum 1. propter  
universalitatem nostri textus in verbis: à quolibet possi-  
dente 2. Quod Dominus interdicto unde vi à vasallo con-  
ventus conqueri non possit debitum sibi honorem à vasallo  
non exhiberi, propterea, quod facinoris reus agatur. Et cum  
vasallum Dominus non habet ut vasallum, vasallus non  
compellitur Dominum habere ut Dominum; juxta prover-  
bium illud: *Getreuer Herr/ getreuer Knecht/* quod fundatum  
*in 2. feud. 6.* 3. Si vasallus ex tali causa agere potest contra  
Dominum ad privationem proprietatis, non debet ipsi de-  
negare quod minus est, nempe interdictum unde vi. 4. Quod  
vasallus Dominum deprædare possit. *2. feud. 22.* Multo  
magis interdicto unde vi adversus illum uti. Verùm ra-  
tionibus hisce non obstantibus Negandum hoc esse cense-  
mus cum *Zasio. epit. feud. p. 11. n. 24. Rittersh. in part. feud lib. 2.*  
*cap. 1. q. 7. Rosenth. d. feud. cap. 10. concl. 23. n. 1. & 5.* Uti enim  
adversus Patronum libertus actionem famosam instituere  
non valet propter honorem & reverentiam quam exhibere  
debet Patrono *l. 10. §. 12. ff. d. in jus voc. l. 11. §. 2. ff. d. dol. mal.*  
*l. 4. §. adversus ff. d. dol. mal. excep. l. 2. & 5. ff. d. obseq. p. 2. &*  
*patron. prestand.* ita propter eandem rationem nec vasallus  
Dominum feudi famosa actione convenire potest. Quod  
autem interdictum hoc unde vi existimationem ejus adver-  
sus quem dirigitur, gravet, patet, *ex l. 1. §. 43. ff.*  
*d. vi & vi arm.* Et posito quod interdictum hoc ipso ju-  
re infamiam non importet, quia tamen autoritatem  
facinoris in se habet *d. l. 1. §. hoc interdictum 43. ff. d. vi & vi*  
*arm.* & apud bonos viros gravat, ideo adversus personas,  
quibus honor & reverentia est exhibenda, & quæ semper  
sanctæ

B

sanctæ

sanctæ & honestæ esse debent 2. feud. 6. non erit instituen-  
dum. Accedit, quod vasallus actione in factum æquè rem  
suam defendere queat, veluti si dicat, vi se de possessione à  
domino expulsus, sc. non ut crimen ob vim ei objiciat, sed  
ut possessionem recipiat, quibus verbis utitur Jctus in *l. hi  
tamen 11. §. 1. ff. d. accus.* Unde quoq; Feudista in *tit. 22. lib.  
2. feud.* non directò interdictum unde vi adversus Domi-  
num turbatorem concedit vasallo, sed vult, ut solummodo  
conqueratur apud Pares curiæ de Domino, illisq; simplici-  
ter factum enarret. Quæ curia Dominum debitâ reveren-  
tiâ competenter cogere debet, ut vel possessionem restituat,  
vel judicio Curiæ se submittat *d. tit. 22. feud. 2.* Quod verò  
attinet contrariæ opinionis fundamenta ad illa responde-  
mus, & quidē ad 1. Nostri textus universalitatem restringi in  
*d. tit. 22. feud. 2.* & hoc rarum non esse ut unus textus absolutè  
loquens in alio textu restringatur. Ad secundum dicimus.  
Quod consequentia vacillet; sicut enim patronus, qui li-  
bertum suum non habuit ut libertum nihilominus pro Patro-  
no est habendus, ipsiq; à Liberto reverentia exhibenda, ita  
quoq; vasallus etiam si à Domino nō fuerit habitus ut vasallus,  
Dominum habereut Dominum ipsiq; reverentiâ exhibere de-  
bet. Et hujus reverentiæ respectu fallit etiam hoc, quod aliàs  
dicitur, Dominum & vasallum ad paria teneri. Ad tertium verò  
respondemus committi elenchum comparatorum. Siquidem  
non minus, sed plus est, interdicto recuperandæ possessionis  
adversus Dominum experiri, quàm adversus eundem ad  
privationem proprietatis agere, cum hoc posterius re tan-  
tum privet Dominum; illud verò honorem ejus & existi-  
mationem lædat. Ad quartum deniq; dicimus: Verbum  
deprædandi ibi accipiendum esse abusive & mollius, ut si-  
gnificet vim, non quidem quæ ulciscendi nocendiq; animo,  
sed quæ tantum juris sui tuendi causâ adhibetur. Et ponit  
*Finckelth. d. feud. disp. II. ch. 1.* talem casum, quo omnis via  
prius à vasallo quæsitæ sit, suum jus per iudices & Magistra-  
tum reposcendi, nec ea inventa, sive quia pares ob poten-  
tiam vel favorem Domini non sunt ausi imperio adversus  
eum



longa tempora perseveraverit servitus, minimè  
noceat. (d)

E L A B O R A T I O.

Casus hîc proponitur talis : Titus vasallus Sempronii aut dolo malo depravatus, aut pretio vel pecuniâ inescatus, aut incuria seu desidiâ marcidus fundo vel rei feudali servitute aliquam imponi passus est, quâ etiam per multos annos Sempronius usus fuit, postmodum verò Titio vasallo sive heredibus feudilibus mortuo feudum ad Dominum revertitur, quæritur, an Domino servitus imposita noceat, ita ut necesse habeat pati, quo etiam in posterum Sempronius illâ servitute utatur? Et respondetur quod non (b) Quæ autem sint illæ causæ, ob quas feudum ad Dominum revertitur alibi traditur. Imprimis verò hoc fit, si vasallus sine heredibus feudilibus moritur; & deinde quando vasallus delictum aliquod ætrox commisit, & quidem in personam Domini, secus verò si in alium. 2. feud. 24. §. deniq<sup>3</sup>, ubi distinctio hæc tam ratione, quàm moribus comprobata dicitur. Ratio in casu priori manifesta est, ut videlicet Dominus injuriæ sibi illatæ habeat ultionem; quæ cum deficiat in casu posteriori, meritò etiam idem jus deficit. 2. feud. 37. Et sic non obstat §. si vasallus culpam. 2. feud. 26. & tit. 31. feud. 2. Loquuntur enim de casu, ubi culpa non fuit in Dominum commissa; proinde ibi agnati succedunt. 2. Non obstat communis juris regula; quod factum unius alteri nocere non debet l. 74. ff. d. R. 7. ergò nec agnatis. Nam in feudis aliud statutum esse, patet ex dd. text. 2. feud. 24. §. deniq<sup>3</sup>. in fin. 2. feud. 37. & ratio procul dubio hæc est, ut vasalli, quorum commune votum est, feudum in familia conservari diligentius & fidelius se gerant erga dominum, qui nulla alia de causa feudum concedere solet, quàm propter fidelitatem. Controvertitur verò insuper: Utrum hoc feudum (& quidem antiquum in quo agnati jus succedendi habent) ita Domino apertum, revocabiliter, sive ad vitam duntaxat delin-



delinquentis & ejus descendendum, an irrevocabiliter sive perpetuò apud Dominum maneat? Prius tanquam æquitati consentaneum statuendum esse ducimus. Primò propter textum in 2. feud. 28. vers. hoc autem, intelligitur. Secundò, quia hac ratione domino & agnatis prospicitur; illi, ut ob contemptum suum feudo fruatur; his, ut jus quæsitum ipsis non intervertatur. Præsertim quia agnati illud non à proximè defuncto, sed à concedente & primò acquirente jure proprio capere censentur, adeoq; vasallus delinquendo ipsis præjudicare non potest. Tertio huc facit §. deniq; 3. 2. feud. 24. in verbis: ut Dominus hanc saltem habeat injuriæ suæ ultionem. Quibus innuitur, hanc ultionem non esse perpetuam, sed aliquam saltem h.e. talem, ut ipsum utili dominio feudi, fructibus atq; redditibus privet, sine unione tamen & consolidatione cum dominio directo. Nec infringit hanc opinionem 1. Quod Dominus & vasallus judicantur ad paria, præsertim quoad pœnas inferendas 2. feud. 47. Nunc autem Domino committente feloniam, per quam vasallus amitteret feudum, proprietas feudi ad vasallum irrevocabiliter pertinet 2. feud. 26. §. Domino comittente. E. Resp enim ad Majorem: In plerisq; quidem, non tamen in omnibus eandem rationem esse Domini & vasalli. 2. non obst. text. in d. 2. feud. 24. verbis: Amittere & revertatur. propter quæ verba dis. sic argumentantur. Si feudum propter delictum vasallus amittit, illudq; ad Dominum feudi revertitur, sequitur quod semper apud ipsum permaneat. Ratio consequentiæ est, quia res amitti dicitur, quæ ita nobis abest, ut nulla spes sit eam recuperandi. l. Labeo. 14. §. 1. ff. d. V. S. & reverti, quæ apud nos mansura est. Atqui verum prius per d. §. deniq; 2. feud. 24. E. & posterius. Respondetur namq; Regulariter quamvis dispositionem ex ratione ejusdem recipere interpretationem & restrictionem. Verba itaq; Amittere & Reverti, ita accipienda sunt, ut tantum vivo delinquente apud Dominum maneat feudum tanquam amissum à vasallo, non autem ut perpetuò apud eum manere debeat; hoc enim non admitterent

rent textus in 2. feud. 78. & 98. proinde generalia hæc verba ex aliis textibus explicanda. vid. *Hartm. Pistor. l. 2. q. 15.* (c) Ille enim contractum vel promissionem à se factam adimplere tenetur, & uti cuilibet mora sua debet esse nociva, non alii; ita & hæc servitutis impositio imponenti omninò obesse potest & debet, non alii. Cæterum putant nonnulli, & quidē primâ frontē haud improbabiler *Vult. lib. 1. d. feud. c. 10. n. 50.* & *Ruding. in contr. feud. lib. 1. c. 21.* jus saltem à vasallo hîc esse alteri constitutum, quod esset servitus prædialis, si jure constitueretur, non autem servitutum ipsam, cum servitus sit jus in re servitutum debente ita consistens, ut si id semel legitimè sit constitutum, non tam persona, quàm res ipsa obligata esse videatur. Et ad nostrum textum respondens, illum non tam de re, quàm de persona loqui; non de servitute, sed de tali jure, quod servitutis quandam habet similitudinem. Verùm nimis clarus videtur esse textus, de servitute loquens, siquidem quæ ita se habent ejus verba: Quid ergò si pretio, vel dolo aut incuria servitutē rei beneficiariæ, id est, feudali imponi patiatur. Et in fine dicitur: & si per longa tempora perseveraverit servitus. Imò, si textus esset de jure saltem accipiendus, quod non afficit rem ipsam, prorsus nullam haberet dubitandi rationem decisio, quæ hic exhibetur. Quis enim de hoc dubitare vellet, quod jus illud, personam saltem vasalli tangens, Domino non noceat. Deinde, nec in jure Feudali à proprietate verborum facile est recedendum. Add. *Schrad. d. feud. p. 8. c. 2.* Disceptatur autem, Utrum vasallus in re feudali alicui usufructum constituere valeat? videtur quidem dicendum quod sic. Cum usufructus morte usufructuarii extinguatur, ac proinde per constitutionem hanc Domino non magnum videatur fieri præjudicium. Et hoc ipsum volunt *Facb. lib. 5. contr. c. 79.* & *Borch. d. feud. c. 8. n. 94.* qui sequentibus adhuc moventur rationibus. 1. Quia usufructus tantum respicit perceptionem fructuum. Nihil autem interest Domini feudi, utrum vasallus percipiat fructus ex feudo, an alius. 2. Quod emphyteuta possit alii constituere  
usum

usumfructum *l. fin. C. d. jure empbyt.* Verum his non ob-  
stantibus simpliciter illud esse negandum putant *Ro-*  
*sentb. d. feud. c. 9. concl. 12. & Schneidevv. d. feud. p. 7. n. 11.*  
1. Quod servitus servitutis non detur. *l. 1. ff. d. usu & usufr.*  
2. Quia per constitutionem hujus servitutis personalis  
præjudicium crearetur domino feudi; vasallus siquidem  
destituitur sumptibus necessariis, ut Domino servitia am-  
plius commodè præstare nequeat. Et 3. etiamsi hoc non  
fieret, tamen quoniam per hanc concessionem usufru-  
ctus naturalis transfertur rei seu fundi possessio in usufru-  
ctuarium *arg. l. naturaliter. 12. ff. d. acquir. poss. l. possessio 49.*  
*ff.* Alienatio autem feudi etiam illa prohibita est, quâ posses-  
sio transfertur *2. feud. 55. ibi: vel quocunq; modo.* ideò saltem  
ex hoc fundamento vasallus alii in re feudali usumfructum  
constituere non poterit. Coeterum ad conciliationem &  
huic nostro textui convenienter scribit *Dn. Struve in Synt.*  
*jur. feud. c. 21. 1b. 9.* Aut intelligis per usumfructum jus quod-  
dam percipiendi fructus, quamdiu vivit vasallus, & hoc li-  
cet alteri concedere: Aut usumfructum formaliter ita di-  
ctum, & hunc alteri concedere non potest. (d) Vasallus  
etenim ad tempus saltem vitæ suæ jus in feudo habet. Re-  
soluto igitur jure Vasalli servitutum constituentis per mor-  
tem ejus, resolvitur & hoc jus servitutis, *arg. text. 1. feud. 8.*  
*S. 1. l. 31. ff. d. pign.* Et est 2. aliàs cautum, suam cuiq; non  
non alterius conditionem deteriore facere licere *l. pactum*  
*46. in fin. ff. d. pact. l. 39 ff. d. reg. gest.* Nec obstat quod ser-  
vitus perpetuam causam habere debeat *l. foramen. 23. ff. d.*  
*servit.* secundum textum autem nostrum, non esset perpetua,  
sed tantum ad mortem usq; vasalli duraret. Verum resp. ser-  
vitutem perpetuam causam habere ratione potentia saltem,  
non ratione actus, & quidem quamdiu durant. 2. Non  
obst. Quod qui servitutum fundo imponit, alienare dicitur  
*l. fin. C. d. reb. alien. non alien.* Alienatio autem feudi est pro-  
hibita. Respondetur enim, non omnem alienationem  
esse prohibitam, sed tantum eam, per quam feudum à Do-  
mino transfertur, & per quam conditio Domini redditur  
dete-

deterior. Neutrum autem fit in servitutis realis impositione. Quando verò in textu nostro dicitur: Et si per longa tempora perseveraverit servitus, tunc exinde liquet, longi temporis moram consensum Domini non progignere, tametsi sciens eam servitute[m] irrepentem jure directi domini præscriptionis interruptione non areeat. Cæterum si consuetudine antiqua à tempore cujus non extat memoria, sit introducta servitus, eam Domino, non obstante hoc textu, nocituram putat *Schenck. Baro: h[ic]. n. 3.*

#### T E X T U S.

**E** contrario autem si quid feudo à vasallo additum sit, siquidem tale adjectum sit, quod per se subsistere possit, ut per se censeatur, ut prædium, id non accrescit feudo: (a) Si verò per se non possit subsistere, ut servitus, plerisque placet feudo accedere, (b) & sicut partem feudi disponendam esse. (c) Meliorem namque conditionem feudi facere potest, deteriore[m] verò sine Domini voluntate, vel eorum agnatorum, ad quos per successionem pertinet, facere non potest. (d)

#### E L A B O R A T I O.

(a) Quoniam in præcedenti paragrapho de eo actum, an videlicet in præjudicium Domini vasallus possit diminuer[e] feudum, & responsum fuit quod non; in hoc versiculo agitur de tali quæstione: Num vasallus feudum possit augere, & an augmentum, si feudum ad Dominum revertitur, pertineat etiam ad Dominum, an verò maneat penes vasallum ejusque heredes? Et respondetur distinguendo: inter augmentum separabile & inseparabile. Si separabile est, ut

ut, si fundus vel prædium à vasallo sit emptum, tunc fundo non accrescit, nec ad Dominum pertinet, sed penes vasallum vel ejus heredes manet. Si verò inseparabile est, tunc ad Dominum feudi pertinet. Ratio differentiæ est, quia illud per se subsistere potest, nec à feudo dependet, neq; illi adhæret, sed suam hypostasim habet. Hoc autem rei feudali tanquam subjecto inseparabiliter cohæret. Hinc quæritur 2.  
1. Si vasallus in fundo feudali ædificium exstruxit, an & illud maneat vasalli, vel heredum ejus? Videtur primâ fronte dicendum quod sic. Quoniam & illud separabile est; Et ut scribit *Schenck. Baro ad b. l. n. 7.* dirui potest, & dirutum auferri. Sed verius est, illud pertinere ad Dominum feudi; Cùm regula juris Civilis, quæ vult, ut solo cedat, id, quod solo inædificatur §, 30. *J. d. R. D. l. 7. §. 10. ff. d. A. R. D.* etiam de Jure Feudali obtineat. Ut & Jure Saxonico *Land X. lib. 2. art. 21. Constit. Elect. p. 3. c. 31.* Interim tamen obstrictus est Dominus vasalli heredibus pretium vel impensas in structuram ædificii factas solvere, si sine culpa vasalli feudum ad Dominum revertitur §, *si vasallus 2. feud. 28.* Non verò si culpâ vasalli fuerit finitum. Licet & hîc *Diff. Gudelin, d. feud. p. 5. c. 5. & Zasius d. feud. c. 16. n. 65.* moti sequentibus rationibus. 1. Quod scilicet Dominus id solùm propter delictum vasalli repetere possit, quod vasallus à Domino accepit. Nunc autem hoc ædificium vasallus à Domino non accepit. 2. Quod etiam donatarius & fructuarius, licet ob ingratitudinem re donatâ iterum privetur, possit nihilominus id, quod erogavit, repetere *arg. l. 7. C. d. usufr. 3.* Quod aliâs quoq; in persona prædonis ratio impensarum habeatur. *l. 38. ff. & petit. hered. l. 37. ff. d. R. v. l. 5. C.* adeoq; multò magis impensæ restituendæ sunt illi, qui ante feloniam commissam eas fecit. Sed quæritur adhuc, quod nam tempus ratione æstimationis in præsentî casu sit attendendum. Ubi cum *Claro §. feudum. 7. 88. n. 2. & Rittersb. d. feud. c. 6. q. 40.* dicendum, æstimanda esse melioramenta non pro valore rudum & materiæ, quanti ea vendi possint, diruto ædificio, sed juxta valorem ædificii exstructi, atq; sic spectandum esse tempus restitutionis.

C

Nec



Nec refragatur haecenus dictis. alleg. §. si vasallus. 2. feud. 28. ubi dicitur, quod dominus aut pati debeat ædificium auferri, aut pretium ejus solvere. Ergò poterit præcisè adstringi, ut pretium ædificii solvat. Id enim secundum æquitatem & conditionem impensarum intelligendum est, ita scilicet, ut penes dominum quidem sit electio, electionem autem ipse ita temperare debeat inde, an ædificium sibi expediat, annon: adeoq; non malitiosè possit eligere & offerre tollendi licentiam, quando ædificium ipsi est utile, sed potius tali casu pretium pro ædificio præstet æquivalens. Eleganter si quidem scribit *Hartm. Pistor. lib. 2. q. 42. n. 9.* quam Jctus considerat æqualitatis rationem in persona auferentis, ea etiam meritò locum sibi vindicat in persona Domini eligentis. *Diss. Menoch. d. recup. poss. remed. 15. n. 505.* Jure verò Saxon. in distinctè ædificia cedunt solo feudali, ita ut nec impensas heredes vasalli petere queant. *LandR. l. 2. art. 2. Consi. Elect. p. 3. c. 31.* ubi *Dn. Carpzov. d. 1. §. 2.* similiter & ea, quæ feudo affixa sunt & alia, quæ pro imobilibus habentur, ad successores pertinent feudales *Item Carpz. def. 2. 5. & 6.* Et III. quæritur: Num vasallo vel ejus heredibus post restitutionem feudi amissi ante refusas impensas competat condictio vel alia actio? Allegatus jam *Hartm. Pistor. d. l. n. 3.* cum *Matth. d. Afflict. in d. §. vasallus. n. 10.* & *Tiraq. d. retract. conv. §. 7. Gl. 1. n. 7.* hoc affirmat quoad condictionem. *Bocerus* autem in *tr. d. jure Domini & vasalli lib. 2. c. 4. n. 84. & seq.* putat actionem negotiorum gestorum habere locum. Verùm rectius statuitur, nullam hîc competere actionem, sed jure retentionis tantùm vasallum vel ejus heredes impensas illas in domum factas consequi posse. Cùm nullus textus in Jure feudali reperiat, qui actionem aliquam illis concederet. Uti ergò de Jure Civili in tali casu nulla datur actio, quod apparet. 1. ex *l. si in area. 33. in fin. ff. d. condict. indeb.* ubi expressè dicitur: Nullo alio modo impensas, quàm per retentionem servari posse. 2. ex *l. Paulus 14. ff. d. dol. & met. except.* ubi Jctus Paulus respondet, eum, qui in alieno solo ædificium extruxerit, non aliàs sumtus

con-

consequi posse, quam si possideat, & Dominus soli ab eo rem vindicet, scilicet, oppositâ doli mali exceptione. 3. *ex l. Sumtus. 48. ff. d. R. V. 4.* Ex eo, quod impendens nullum habeat animum, ut sibi alium eo nomine obstringat, adeoque contra intentionem agentis nulla poterit dari actio. Ita nec Jure feudali aliqua competere potest; Cùm Jura sint potius concordanda, quam inter illa differentia aliqua admittenda, quæ inibi non reperitur. (b) Servitus enim est qualitas rei, quæ rem ita afficit, ut tanquam adhærens cum re ad quemvis possessorem transeat. Interim quod feudo sic insitum est, ut ab eo disjunctum funditus intereat veluti servitus fundo acquisita *l. 1. ff. com. præd. tam urb. quam rust.* id eâ adhæsiōne quidem fuerit perpetuum, sed Dominus feudo sibi aperto, ut puta, quia sine filio decessit vasallus, pretium ejus heredibus nihilominus ex æquitate restituet, si pretio servitus à vasallo sit comparata. Sed quid dicendum de Jurisdictione, si illam vasallus acquisivit? Putamus cum Bald. & Alvarott. ad h. text. non idem esse de illa dicendum quod de servitute hîc traditur. Cùm jurisdictio sit divisibilis & separabilis; Unius, siquidem possunt esse mœnia alicujus castri, & alterius jurisdictio; quoniam ergo jurisdictio potest esse alterius, & de se subsistere, non transibit jurisdictio feudo aperto. (c) id est, instar partis fundi feudalis habendam esse. Pars autem integralis à toto separari non potest, ita ut totum maneat. (d) Sicut enim alius usufructuarius deteriorem domini proprietatis conditionem facere non potest vel debet; ita nec vasallus Domini aut agnati, ad quem feudum quandoq; est reversurum. Cùm generaliter obtineat, ut nullus alteri præjudicium facere debeat.

T E X T U S.

**Q**uamvis enim possessio per beneficium ad eum pertineat, (a) tamen proprietas ad alium spectat: (b) & ideò quartæ sive  
C 2
tertiæ

tertiæ ratione, quæ à Longobardis seu à Romanis viris uxoribus fieri solet, (c) post mortem viri ad uxorem nihil pertinet. (d) Nam nec pignus, quod consulum dicitur, fieri potest ex feudo. (e)

#### ELABORATIO.

(a) Ex his verbis sat clarè patet, possessionem rei feudalis penes vasallum esse; Quoniam autem duplex datur possessio Naturalis & Civilis, ideò quæstio est de quam possessione textus sit accipiendus? Et quia jam supra in Elobarat, tit. 10. §. 12. lib. 1. feud. evictum à nobis est, Dominum feudi rem feudalem civiliter possidere, Vasallum verò naturaliter tantum; Ideò lubet hîc saltem prosequi illam sententiam & pluribus confirmare fundamentis. 1. Quia qui perpetuam possidendi facultatem habet, dicitur naturaliter possidere in l. 3. C. d. locat. Atqui vasallus perpetuam habet possidendi facultatem 2. feud. 23. in fin. in verbis. in perpetuum. E. 2. Vasallus est usufructuarius quidam, teste ipso Feudista in d. tit. 23. Atqui usufructuarius naturaliter possidet. l. 12. §. 1. ff. d. acquir. poss. E. & vasallus naturaliter possidebit. 3. Quia juramento fidelitatis præstito tenetur Dominus vasallum in vacuum possessionem mittere. Hoc autem de alia possessione quam naturali commodè accipi non potest. 4. Quod si vasallus non naturaliter solum, sed etiam civiliter possideret, utiq; usucapere posset. Jam verò usucapere non potest vasallus rem feudalem, etiamsi eam longissimo tempore possideat, cum sciat rem ratione proprietatis esse alterius, atq; sic deficiat bona fides E. nec civiliter rem feudalem possidet. 5. Quoniam civilis possessio, uti communiter describitur, est, quâ quis rem tenet opinione domini, seu, ut sibi omninò propriam teneat. Naturalis verò, quâ quis rem tenet animo quidem sibi habendi, sed absq; opinione domini, sive, quâ  
rem



rem animo habendi jus in ista re, cuius dominiū alteri concedimus, possidemus *l. 13. §. 1. ff. d. publ. in rem act. l. 37. ff. d. A. R. D.* Cum igitur vasallus rem feudalem possideat animo sibi habendi, non tali, quo proprietatem plenam s. dominiū plenum, sed quo usufructum feudalem seu dominiū utile in re sibi arroget, concedendo alteri proprietatem seu dominiū directum *h. n. text.* dicendum utiq; est, eum rem ipsam non civiliter, sed naturaliter possidere. vid. *Bocer. d. jur. dom. & vasall. lib. 2. c. 1. n. 4. Rosentb. d. feud. c. 8. concl. 1. n. 10. Dn. Struve | c. 12. tb. 2. Diff. inter alios Rittersb. in part. feud. lib. 2. c. 2. q. 2.* Qui potissimum urget, quod in multis locis juris Feudalis tradatur, possessionem in vasallum à Domino esse transferendam. Proinde possessio civilis erit subintelligenda. Sed nulla est consequentia. Nec concedendum illis, civilem possessionem tantum esse propriè possessionem, non verò naturalem. Una siquidem species possessionis non magis propriè species est, quàm altera. (b) Per proprietatem intelligendum est Directum dominiū; & per alium, Dominus feudi, ita ut sensus sit: Possessionem feudi quidem ad vasallum post realem investituram spectare, dominiū verò & quidem directum ad Dominum. Controvertitur autem, an ex pacto directum <sup>Q.</sup> dominiū ad vasallum transire queat? Affirmandum hoc esse, primà quidem fronte videtur 1. Quod naturalia cuiusq; rei mutari possint pactis & conventionibus *l. 72. ff. d. contr. emt.* Jam verò feudi naturale est & non substantiale, ut proprietas maneat penes concedentem, & usufructus saltem ad accipientem transeat E. poterit hoc pactis immutari, sic ut feudum maneat, liceat à propria feudi natura recedat. 2. Quod quotiescunq; substantia rei salva manet & intacta, toties quoq; res ipsa salva maneat, quamvis quædam ex naturalibus rei pacto sint immutata. In proposito casu autem feudi substantialia & interna forma, quæ consistit in fidelitate à vasallo Seniori præstanda, manet salva, eaq; cum servitiis domino nihilominus præstari potest. Ergò quamvis naturale hoc, ut videlicet proprietas

atq; directū dominium non transeat ad vasallum, ita pacto fuerit immutatum, nihil ominus feudum subsistet. Sed contrarium verius est: Quoniam enim feudum est quidam usus fructus, uti patet *ex tit. 23. in fin. lib. 2* certè nulla conventionē effici potest, ut feudum sit & maneat, plena tamen proprietās ad vasallum transeat. Constat siquidem usum fructum formalem semper à proprietate abesse. §. 1. *f. d. usufr.* proinde non poterit utrumq; mediante conventionē penes unum esse. Deinde noster textus expressè proprietatem ad Dominum feudi restringit, quando dicit: tamen proprietās ad alium spectat. Et sic facilè responderi poterit ad argumenta pro affirmativa opinione jam allata. In priore enim neganda est minor propositio, ac probandum est, quod tantū naturale sit & non substantiale, quod ad vasallum usufructus & possessio naturalis transeat, Directum verum dominium seu proprietatem retineat Dominus. Contrarium patet *ex tit. 23.* Ita quoq; quoad secundum negamus minorem vel subsumtionem: Feudi etenim substantia non in quavis consistit fidelitate, sed in ea fidelitate, quæ alicui pro fundi sive rei immobilis præstatur usufructu *d. tit. 23.* (c) Sciendum hic est trifariam uxoribus ex facultatibus mariti olim competiisse quartam. 1. Si viro decedente locuplete conjunx super sit indotata simul & inops. *Auth. præterea C. unde vir. & uxor.* Cujus verba ita sonant: *Præterea si matrimonium sit absq; dote, conjunx autem præmoriens locuples sit; superstes verò laboret mopiâ; succedat unâ cum liberis communibus, alteriusvè matrimonii in quartam, si tres sint vel pauciores. Quod si plures sint, in virilem portionem, ut tamen ejusdem matrimonii liberis proprietatem servet, si habuerint; His verò non extantibus, vel si nullos habuerit, potietur etiam dominio, & imputabitur legatum in talem portionem.* 2. Si uxor sine causa legibus agnita à marito expellitur, tunc debet quartam substantiæ maritalis partē habere. §. *quia verò in Auth. ut liceat matri vel avia.* Idem vult 3. *l. ult. C. d. repud.* ubi traditur, si vir talem culpam contra innocentem mulierem commisit, ut separatio fieri debeat, cogitur quartam propriæ substantiæ

tiz portionem eidem consignare. Uti enim uxor dives à thoro mariti adulteri separata, & dotem suam repetit, & donationem propter nuptias recipit *l. consensu §. si verò C. d. repud.* ita conjux indotata & paupercula, casu præfato, quartam partem adipiscetur, cum viri culpa, nempe adulterio, ea sit facta separatio. *d. l. ult.* Æquissimum namq; est, ut ejus dispendii pœna lubricos percellat, quos in officio maritali veneratio non continet Sacramenti. Et hanc quartam in casibus traditis etiam Jure Longobardico uxor consequi poterat, ex bonis viri allodialibus, non verò ex bonis feudalibus, juxta nostrum textum. (d) Ratio est, quoniam Vasallus saltem utile dominium horum bonorum habet, & beneficii titulo illa possidet; proinde in fraudem & præjudicium Domini vel agnatorum nihil quicquam de his bonis in alium transferre potest. (e) Quemadmodum ergò vasallus juxta jam dicta quartam ex bonis feudalibus uxori dare, vel relinquere non tenetur vel potest, ita propter indentitatem rationis nec pignus constituere valet. Distinguendum autem inter Jus feudi & jus percipiendi commoditatem feudi? Illud oppignorari non potest, juxta nostrum textum; Hoc verò omninò, *Laudens. ad b. t. §. Donare. n. 16. Schrad p. 8. c. 1. n. 25. Clarus §. feudum. p. 31. n. 9.* Hinc etiam à Judice, etiamsi non sit Dominus feudi, quando vasallus alia bona non habet, immissio fieri potest in feudum quo ad ejus fructus. *Gail. lib. 4. obs. 117. Hartm. Pistoris lib. 1. q. 15. ordin. Prociff. Elect. Sax. tit. 40. Diff. quidem Vult. verum ipsi satis fecit Dn. D. Struve in Synt. feud. c. 12. th. 7. in fin.* Cœterum hinc sciendum erit, quid sit, pignus consultum, vel unde ita dicatur. Dicebatur autem ideò consultum, quoniam per id creditoris indemnitati consulitur, cui videlicet potius expedit pignori incumbere, quàm in personam agere. *l. plus cautionis. 25. ff. d. R. J. Matth. d. Afflict. ad b. t.* Alii verò putant, pro Consultum legendum esse constitutum, & significari, quod nec locū habeat in feudo hypotheca seu illud pignus, quo absq; traditione res pignori supponitur, seu pignus in re constituitur. Quemadmodum enim græco

verbo:

verbo: hypotheca, in specie venit absq; traditione in cre-  
diti securitatem suppositum, ita probabiliter asseritur, ver-  
bo: consultum ibi in specie denotari pignus absq; tradi-  
tione constitutum, licet generaliori acceptione & appella-  
tio hypothecæ & constituti sc. pignoris conveniat  
omni pignori. l. i. ff. d. pign. act. l. 5. §. 1.  
ff. d. pign.

TIT. IX.

QUALITER OLIM FEUDUM  
POTERAT ALIENARI.

CONTINUATIO.

**P**ostquam in fin. proximè præcedentis tituli di-  
ctum, vasallum nec quartam uxori ex bonis feuda-  
libus, nec pignus constituere posse; super hac mate-  
ria autem olim diversæ erant consuetudines, va-  
riæq; dabantur sententiæ, ideò, ut & de hac re constet,  
Compilatores in hoc titulo aliquid de illa ne prorsus  
ignoretur, subjicere voluerunt.

TEXTUS.

**E**st autem optimâ consuetudine interdicta  
feudi alienatio: (a) super qua multæ & di-  
versæ sententiæ dabantur in singulis Civita-  
tibus seu curiis: (b) Donec Imperator divæ  
memoriæ Lotharius Tertius promulgavit super  
hoc novam constitutionem, quæ posita est in ti-  
tulo de beneficiis. (c) Necessitate namq; sva-  
dente poterat olim vasallus Domino inscio vel  
invito feudi partem vendere, retentâ videlicet  
alia

alia parte. (d) Si verò vel totum vel partem volebat per feudum aliquem investire; hoc licebat ei sine fraude facere. (e) Si autem dissentiente Domino vendebar, sive per feudum investiebat, (quod & ipsum sincere hodie & sine fraude licet ei facere. (f) Si tamen herede masculino descendente decebat, vel feudum in manu Domini refutabat, aut alia forte ratione intercedente culpa amittebat: tunc omnis feudi alienatio ad irritum revocabatur: (g) eo excepto, quod ille qui secundo loco beneficium acceperat, non amittebat, si priori domino servire, & ab eo feudum recognoscere volebat. (h)

#### ELABORATIO.

(a) Cùm enim feudum ob spectatam vasalli industriam ac fidem Dominus in eum suam conferat liberalitatem, æquum non est, ut hæc ad alios invito domino tradatur, cùm in ipsius solius personam, ejusq; sobolem, quam paternarum quoq; virtutum successione metitur, hoc conclusisse beneficium videatur, cui suam munificentiam reliquit. *arg. l. unic. §. si verò. C. d. cad. toll.* Deinde vasallus nullum feudi habet proprietatem, sed ea ad Dominum tanquam superiorem spectat, ut in *fin. preced. tit.* est traditum, & quanquam utile dominium clientulo competat, tamen hoc ei non est liberum, sed ejus ratione obsequiis servitiisque Domino impendendis adstringitur, quæ ratione personarum differunt. Duo namq; cum faciunt idem, non est idem. 3. Constat ex *tit. de alienat. patern. feud. 2. feud. 45.* quod vasallus non possit præjudicare agnatis ad quos feudum aliquando sit reversurum; Præjudicaret au-

D

tem

tem si feudum vendere atq; distrahere posset. Sic quoq;  
non valet vasallus præjudicare Domino, hoc verò fieret, si  
alienaret feudum; tunc enim non tam facilè ad Dominum  
reverteretur, quod tamen, ne semper proprietas inutilis  
maneat, sed aliquando cum usufructu consolidetur arg.  
§. 1. *f. d. usufr.* fieri debet: Quare meritò hic textus inquit,  
feudi alienationem optimâ consuetudine esse interdictam;  
& *Dn. Struve, in Syntagm. juris feud. c. 13. aph. 1.* scribit: alie-  
natio feudi in extraneum secundùm ipsam feudi essentiam  
non valet absq; consensu Domini. (b) Ad quæ verba tria  
notanda veniunt. 1. Quod in diversis Civitatibus, di-  
versæ possint esse consuetudines, id quod etiam suadet, *c. 2.  
de feud. dato in vicem legis comra. 1. feud. 29.* 2. Quod  
diversitas opinionum causa sit legis promulgandæ,  
quod etiam probavit. *tit. 1. feud. 1. §. cum verò Contra-*  
*das & ostendit l. humanum 8. C. d. LL.* 3. Quattuor re-  
periri in Jurè Feudali Curias. Prima est ipsius Domini  
feudi, quando coram ipso agitur. Secunda est Parium per  
partes electorum. Tertia est Parium complexivè sumto-  
rum. Quarta est Judicis ordinarii. In quibus Curias con-  
troversia feudales tractantur & determinantur. (c) Sub-  
intelligendus autem est *tit. 52. lib. 2. feud.* in quo hæc Lotha-  
rii constitutio exhibetur. Additur, divæ memoriæ. Quo-  
niam boni Imperatores referebantur antiquitus inter Deos  
& Sanctos, & propter eorum bona opera conscribe-  
bantur eorum nomina ad perpetuam memoriam, sicut legi-  
tur de Constantino, qui dicitur Divus, quasi Deificatus in *l.  
divi C. d. nat. lib.* & de Claudio in *l. 1. C. ne lic. pot. ut & Au-*  
*gusto in l. 1. ff. d. adult.* (d) Quæ pars retenta efficiebat, ut  
alienans adhuc pro vasallo haberi potuerit. Cæterum ex  
his ipsis colligitur, hodie post illam Lotharii constitutio-  
nem vasallum nec partem feudi sine voluntate Domini, et-  
iamsi necessitas hoc desideret, vendere vel alienare posse.  
Licet enim aliàs durum sit telum necessitas, & propter nimi-  
am paupertatem] egestatemq; victus etiam liberos suos  
sanguinolentos vendere queat pater juxta *l. 2. C. d. patrib.*  
qui

qui lib. & quod non est licitum in lege necessitas faciat licitum c. quod non est x. d. R. 7. ac prohibita alienatio necessariam non includat, quod videatur prohibentem nihil sensit de huiusmodi alienatione l. cum fidei. ff. de fideic. libert. ipsaq; necessitas pleraq; probabilia faciat l. qui potuerunt. ff. d. manum. testam. tamen hic propter supra adductas rationes licitam facere non potest alienationem, quæ simpliciter est prohibita. Consensum tamen hoc summæ necessitatis casu sine iusta causâ non denegare poterit dominus; ut cum Claro §. feudum q. 31. n. 11. Myns. cent. 6. obs. 30. n. 5. Rosentb. d. feud. c. 9. concl. 3. n. 9. & Borch. d. Feud. c. 8. n. 7. rectè sentit Dn. Struve, in synt. iur. feud. c. 13. aph. 1. (e) Quæ verba de subinfendatione sunt accipienda, & est huius specialis ratio, quippe quæ à solo, quod vasallus habet ac retinet dependet utili dominio, & cum eo expirat, adeoq; à vasallo solo. domini consensu non adhibito, fieri olim poterat atq; adhuc potest. add. ea quæ supra tradidi ad tit. 15. lib. 1. feud. (f) Hæc verba etiam habentur in §. callidis. infr. 2. feud. 55. & continentur in illis primarium subinfendationis requisitum, quod videlicet sincerè ac sine fraude fieri debeat. Eatenus enim quid fieri permissum esse censetur, quatenus res ex fide agenda sit. add. l. creditur. §. Lucius. in fin. ff. mandat. Censetur autem fraudulenter facta subinfendatio, si vasallus sub colore saltem investituræ vendat feudum, & ita simulet infendationem, omnimodam tamen celebret venditionem vid. Kohl. d. tr. d. sub infend. c. 2. n. 60. & ut Schenk. Baro. hinc scribit: ne gratuita subinfendationis pretextu numerato pretio vera feudi venditio pallietur. add. ea quæ supra ad tit. 3. lib. 2. feud. tradidimus. Quod ipsum tamen non ita est accipiendum, ac si necessariò gratis debeat fieri subinfendatio, uti nonnulli volunt, inter quos est Alvarott. & Schenk. Baro in c. beneficium. si de feud. defunct. Schrader. d. feud. p. 8. c. 2. n. 15. & Havem. lib. 2. obs. practi tit. d. feud. obs. 37. urgentes id. §. Callidis. & tit. 3. lib. 2. feud. Nam 1. nullus textus prohibet subinfendare pretio interveniente; Neq; 2. ex eo solo, quod pretium acceperit vasallus, ulla fraus potest colligi,  
D 2 cum

cum potius hoc domino pro sit, cum ditior reddatur vafallus, adeoq; ad servitia magis idoneus. Imò III. Ratio, ob quam vafallo subinfendatio permittitur, etiam obtinet, licet vendat alteri sub feudum vafallus: Ipse enim utile dominium retinet, ut supra *ad tit. 15. lib. 1. feud.* demonstravimus, & domino suo obligatus manet, ac dominium aliquod utile subalternatum solum per istam venditionem, perinde ac per gratuitam concessionem, in alterum transfertur. Nec obstat. *1. d. §. Callidis.* Distingvendum enim est inter subinfendationem pretio accepto verè ac sincerè factam, & callidis machinationibus simulatam, coloratam ac fictam subinfendationem, quâ quis sub calore, ut diximus, & specie subfeudi planè & simpliciter feudum alienat, & nihil sibi retinet. Non illam, sed hanc prohibet *Imp. in d. §.* uti verba ipsa ostendunt: quasi sub colore investituræ feudum vendunt, & in alios transferunt; item: figmentum. Nec refragatur *2. d. tit. 3. lib. 2. feud.* Siquidem non ibi dicitur pretio dato subinfendationem esse fraudulentam & illicitam, sed sub feudum, in fraudem legis concessum, non subsistere, & pretium, si quod datum fuerit, restituendum à revocante agnato. Potius ergò, ut rectè *Dn. Struve d. cap. 12. aph. 11. in fin.* concludit, ex hoc textu colligitur, quod etiam illud subfeudum, quod pretio accepto, absq; fraude, constituitur, subsistat. (g) Si itaq; præfato modo vafallus subinfendasset seu alteri feudum subinfendendo concessisset, aut etiam irrequisito domino partem feudi dimidiam ex necessitate vendidisset, quod olim facere poterat, id, quod actum fuit, robur obtinuit tamdiu, donec quopiam rei eventu, qualis hîc triplex affertur, in irritum recideret, utpote vel quia sic transferens sine mascula sobole decessisset, vel quia in manus Domini feudum refutasset, vel alia quopiam ex causa vel delicto re feudali cecidisset; tunc enim resoluta jure datoris, jus quoq; acceptoris solvitur, & alienatio facta revocatur ad irritum, ut textus loquitur, ac res feudalis à domino revocari potest. Observandum tamen, quod si feudum est antiquum, & vafallus sine herede masculino decedat,



cedat, feudum non ad Dominum, sed ad proximum agna-  
tum revertatur. (h) Postquam feudista generaliter dixit,  
feudi alienationem ad irritum revocari, si sine voluntate  
Domini facta est, ideo voluit talem limitationem statim ad-  
dicere: Nisi videlicet subinfeudatus paratus sit Domino ser-  
vire, & ab eo recognoscere feudum, tunc enim ipsi feudum  
adimi non debet, sed in feudi possessione quidem persistere  
potest, si modo intra annum & mensem domino obsequia  
sua devoveat, ac investituram petat. Et hoc ideo, quia  
vasallus infeudavit dum alterum sibi similem, & iisdem modis  
atq; conditionibus, prout ipse illud habuit, ut nihil in-  
teresse videtur, Domini habere hunc vasallum, quem inve-  
stit, vel alium subinfeudatum. *Alvarotus hic n. 4.* Quæ  
omnia tamen olim procedebant; Hodie verò prohibita alie-  
natio non impedit quidem sub infeudationem ipsam, non  
tamen admittit, ut post extinctum jus subinfeudantis duret  
subinfeudatio, etiamsi paratus est subinfeudatus servitia  
præstare domino. *Dn. Struve in Synt. feud. c. 12. aph. 13.* ubi  
etiam tres ex *Hartm. Pist. & Kobl.* affert casus, quibus & Domi-  
nus ( ut & agnatus ) tenetur ratam habere subinfeudatio-  
nem. 1. Si res in subfeudum data, fuerit solita subinfeu-  
dari 2. Si feudum fuerit hereditarium. Id quod tamen  
quoad agnatos in quolibet feudo hereditario habet locum.  
Non verò quoad Dominum; Quantum enim illum attinet,  
feudum est præsupponendum absolutè & merè hereditari-  
um. Tertius casus est, si hereditatem subinfeudantis adie-  
rit Dominus vel agnatus; tunc namq; contra factum &  
voluntatem defuncti feudum revocare à subinfeudato ne-  
quit. Ex jam dictis autem sequitur, hæc procedere quoad  
feudum novum non verò antiquum; quod si ergò vasallus  
subinfeudans habeat agnatum, qui successurus est, in feudo  
post mortem ejus, tunc talis subinfeudatio facta non tene-  
bit in præjudicium ipsius, tanquam jure proprio succeden-  
tis, & ultra vitam subinfeudantis effectus subinfeudatio-  
nis se extendere haud poterit, etiamsi longissimo tempore  
possederit feudum subinfeudatus. vid. *Kobl. in tr. de subin-*

*feud. c. ult. n. 11. & 12. Sic etiam si ob crimen in ipsum Domi-  
num perpetratum subinfeudans jure feudi cecidisset tunc  
in dispendium secundi quoq; vasalli seu subinfeudati, tam  
enormis sui auctoris ingratitude merito redundaret. arg. c.  
1. in fin. qui interfec. frat. dom. 2. feud. 37. § fin. que fuit. prim.  
causa feud. amitt. 2. feud. 24. vid. Schenck. Baro. hsc. n. 4. & 5.*

T E X T U S.

**D**Onare autem, aut judicare pro anima,  
(a) vel in dotem pro filia dare, (b) nul-  
lius curiæ poterat consuetudine: licet pos-  
set locare: (d) nisi locatio esset fraudulenta  
alienatio, sicut est per libellum, ut dicatur vendi-  
tio. (e) Quis enim dubitat, quod libellario no-  
mine sub vilissima duorum denariorum pensione  
perpetuò concedatur utendum, alienarum in  
fraudem esse? Porro sive de bona consue-  
tudine, sive de prava quaeramus, (f) concessa  
erat Domino pro æquali pretio redemptio: (g)  
nisi hoc beneficium amiserit Dominus per refuta-  
tionem, vel annali silentio, ex quo sciverit com-  
putando. (h) Præscriptione autem triginta an-  
norum summovebatur tam sciens, quam igno-  
rans: (i) In prohibendo autem vel redimendo  
potior erat proximi agnati, quam Domini condi-  
tio: si tamen feudum erat paternum. (l) De  
illa verò feudi alienatione, quæ à Domino fit, si  
dubitetur, lex Imperatoris Conradi consula-  
tur,

tur, quæ posita est in jam dicto titulo de beneficiis. (m)

### ELABORATIO:

(a) Donare siquidem est alienare; Alienatio autem juxta initialia hujus tituli verba, optimâ consuetudine est interdicta. E. & donatio: Nisi 1. fiat filio aut agnato, qui alioquin in eo feudo proximior est successor; Tunc enim non tam donatio est, quam quædam feudi refutatio, quæ etiam domino non consentiente fieri potest. 2. Nisi Dominus in donationem consentiat. Controvertitur verò, si feudum permissu domini donatû alicui fuerit, an illam donationem donator propter susceptos liberos revocare possit? Nos affirmativam opinionem, ut æquiores, ita & veriores esse censemus per l. si unquam. §. C. d. revoc. don. Eadem enim hîc, quæ in aliis donationibus obtinet ratio, quod scilicet tacita hæc conditio ex debita pietate & paterno amore præsumatur subesse, si liberi non nascantur: His ergò ratis cessat donatio, & potius vult is, qui donavit, liberos, post susceptos, feudum habere, quam donatarium. Nec in considerationem venire debet, quod Dominus istam donationem suo consensu confirmaverit. Cum enim donationi tacita illa subfit conditio, videtur etiam Dominus donationem probans tacitè quoq; in illam conditionem consensisse, adeoq; revocantem ejusvè liberos rursus investire tenetur. Imprimis cum consensus domini saltem quoad ipsum, (quod videlicet feudum donatum revocare haud possit,) non verò quoad liberos postea susceptos operari queat: vid. Anton. disp. feud. 9. r. 5. lit. a. & Rosenth. de feud. c. 9. concl. 13. n. ult. (b) Hoc est, disponere de feudo pro salute animæ, legando scilicet feudum Ecclesiæ sub conditione precationum, quæ pro Domini constituentis anima fieri debent, juxta tradita Pontificiorum. Quæ significatio verbi: judicare. occurrit etiam in aliis Germanorum Legibus, sic Imp. Carolus Leg. Longobard. lib. 2. tit. 18. l. 4. dicit: Si quis Longo-

Longobardus statum humanæ fragilitatis præcogitans, præ salute animæ suæ de rebus suis voluerit judicare. Item *l. 2 tit. 14. l. 17. & tit. 29. l. 1. & tit. 4. l. 4. Add. Leg. Wisigoth. lib. 4. tit. 5. l. 2. & 3.* Ratio autem horum verborum est, quia in Jure feudali expressè constitutum, quod vasallus de feudo in ultimâ voluntate disponere non possit. *c. 1. d. alien. feud. 1. feud.* Nec hîc attendenda erit autoritas vel favor Ecclesiæ, qui aliâs est magnus. Auth. *Cassa. c. de S. S. Eccl.* Quoniam enim Ecclesia cultrix & auctrix est Justitiæ, quæ non patitur contra justitiam aliquid fieri in se vel in alium *d. tit. lib. 1. feud.* ideo tale legatum vel ultro etiam respuere debet. Alioquin justitiæ omnis ratio perverteretur, ut & jus proximorum agnatorum, quibus ex insita feudi natura successio debetur, simul & præjudicium non minimum conciliaretur ipsi domino, ad quem nunquam redierit feudum, cùm Ecclesia nunquam desinat esse. Absit igitur ut Schenck Baro hîc scribit, à sancta Ecclesia, ut lucra damnis quærere videatur. *c. fraternitas tue. c. 12. q. 2. & cum jactura ditari aliena.* Sic quoq; non obstat tale argumentum: Si filio à patre feudum donari potest, utiq; & Ecclesiæ. Ratio consequens est in Auth. nisi C. ad Trebell. Atqui filio feudum à patre donari potest, ut supra traditum. E. Ecclesia etenim in *d. Auth.* filia dicitur allegoricè, & ut *Alvarott. hic n. 9.* scribit; **Q**uia filia est anomala, non naturalis. Quæritur verò, Annon hoc in casu æstimatio debeatur? Et quoniam, tale legatum ab ipso Jure improbatur, atq; sic pro nullo habendum, sequitur sanè nec æstimationem deberi: vid. *Alvarottus hic.* Nisi expressa adsit voluntas testatoris, ut nimirum æstimatio ab hærede præstetur. *Vultejus c. 9. n. 152. Magn. Dn. Richter. dec. 25. n. 6. & 7. (c)* Jus etenim in re constitutione dotis transfertur, & nihil retinetur, in quo subsistere possit utile vasalli dominium, nec inde quicquam utilitatis aut commodi redundat ad vasallum, sed eum, perinde ut alia alienatio, feudo exiit, ut dicitur. *2. feud. 52.* adeoq; in Domini præjudicium vergit. Nec obstat quod fœminæ licet feudum marito in dotem dare. *2. feud. 13. & 17.* Singulare enim

enim hoc videtur esse in feudo foemineo; Nam cum hæc præcipua utilitas, quam ex bonis suis habent foeminae, sit, ut possint inde dotari, & propter dotem nubere *l. 2. ff. de jur. dot.* idè Dominus foeminae concedens feudum videtur quoq; dotem in eo constituendi facere ipsi potestatem. Præsertim cum non solum & ipsa maneat domina juxta *l. 30. C. d. jur. dot.* sed etiam maritus uxorem alere & omnia onera matrimonii ferre teneatur, adeoq; uxor eo ipso, quod feudum in dotem dedit, adhuc fructum ex feudo capiat, ad quam etiam soluto matrimonio dos revertitur. Imò ipsi Domino feudi hæc dotis constitutio potius prodesse, quàm nocere videtur, quippe cum uxoris conditio ita reddatur melior, melius quoq; providere poterit, quo debita servitia præstentur. Quæ omnia aliter se habent, quando pater vel alius dotem in feudo constituit, ac licet certis casibus dos redeat ad patrem, vel alium eam constituentem, jus tamen in re constitutione dotis transfertur, atq; sic rei feudalis fit quædam alienatio, quæ tamen optima consuetudine est interdicta in initio hujus tit. (d) Hæc verba communiter restringuntur ad locationem modici temporis, quæ propterea fieri potest, quod non sit species alienationis. Nam qui alienare & oppignorare prohibitus est, locare tamen ad modicum tempus potest *l. Lucius 88. §. instituto. 15. ff. de leg. 2.* Ad longum tempus verò locationem feudi factam sine consensu Domini non valere putant, moti quod hæc locatio æquipollet alienationi, cum ex ea transferatur utile Dominium in conductorem, quippe quæ in emphyteusin transeat *arg. l. 1. §. qui in perpetuum 1. ff. si ager. vectig. l. 1. §. 3. ff. d. superfic. vid. Jacob. d. S. Georg. in verb. & cum patto de non alien. n. 13. Ferrar. Montan. lib. 4. feud. c. 1. Zas. d. feud. p. 9. n. 12. Sonsb. de feud. p. 12. n. 84. Borch. d. feud. c. 8. n. 36. Curt. d. feud. p. 4. n. 92. Schenck. Baro. hinc n. 13. & seqq.* A quibus tamen recedendum esse censemus; Primò enim textus noster indistinctè loquitur. Deinde etiam locatio ad longum tempus facta, imò perpetua, est & manet locatio & *l. 10. C. d. locat. cond. l. 24. §. fin. l. 32. pr. l. 60. ff. locat.*

E

Et

Et 3. locationis ac Emphyteuseos distincta est natura, ut patet ex §. 3. *J. d. loc. cond. §. l. 1. C. d. jur. emphyt.* 4. Nec temporis adjuncto, sed propriâ conventionis formâ contractus distinguuntur *l. 8. in pr. ff. mand. l. 4. ff. d. usur.* De locationis autem natura in genere scriptum, per eam nec dominium *l. 39. ff. locat.* nec possessionem *l. 33. §. 1. ff. de usur. l. 60. §. 1. ff. locat.* mutari. Et licet diff. valde urgent *d. l. 1. §. 3. ff. d. superfic.* tamen si accuratè perpenditur, hoc quod dissentientes volunt minimè probat. Distinguit quidem ibidem **J**Ctus an conducta sit superficies ad modicum, an non modicum tempus: Priori casu negat actionem in rem, posteriori concedit. Verùm dum in hac lege dicitur actio in rem à Prætor e, & quidem causa cognitâ dari; manifestum indicium est, longum tempus per se non producere effectum hunc, vel dominium; aliâs enim actio non tam dari, quàm potius ex locatione hujusmodi nasci diceretur. Deinde specialis est ratio superficiei conductæ, de qua unicè loquitur *l. 1. §. 3. quod superficies* quæ est ædificium per se intellectum, & à solo distinctum *l. 98. §. 8. vers. non est. ff. de solut. ac ipso jure non subsistat; Naturæ enim repugnat, ut ædificium sit sine solo, & juris rationi, ut non cedat occupanti, sed qualis quanta est ex tuitione Prætoris dependet *l. 1. ff. quib. mod. ususfr. amitt.* qui præter juris rationem superficiem tanquam per se consistentem considerat. Quod itaq; Prætor in *d. l. 1. §. 3.* dat actionem in rem ei, qui ad tempus non modicum, denegat autem illi, qui ad modicum saltem conduxit superficiem, ex differentia est, quæ est inter emtionem & locationem. Quia enim illâ dominium transfert in perpetuum: Ideò si per emtionem superficies constituitur, ut in *d. l. 1. §. 1. ff. d. superfic.* indistinctè pro ea actio in rem quoq; competit. Hac verò quia dominium non transfert, siue in perpetuum, siue ad tempus fiat. *l. 29. ff. locat.* Prætor quoq; noluit indistinctè actionem competere, sed longitudinem possessionis insuper accedere debere voluit, utpotè quæ aliquo modo cum emtione convenire videtur. (g)  
Colligunt exinde interpretes, fraudem præsumi in contractu*

tractu ex parvitate pretii, id quod etiam *ex c. illa vos. in fin. x. d. pign. & c. ad nostram. x. d. ems. & vend.* videre est, atq; proinde nullum esse *l. si quis. ff. locat.* Interim tamen hoc non ita intelligendum, ac si sufficeret ad revocandum contractum, quod res digna fuisset majori pensione, nisi & animus intercesserit transferendi jus in re per fraudem, ut in simili casu loquitur *l. & ideo ff. locat.* (f) Observari hic potest, triplicis in hoc textu mentionem fieri consuetudinis circa alienationem feudi; Optimæ, quæ simpliciter prohibet feudi alienationem fieri sine consensu Domini; Bonæ, quæ permittebat alienationem pro parte; & Malæ, quæ permittebat feudi alienationem in totum (g) Sicut enim emphyteuta, si vult meliorationes suas alteri vendere, hoc Domino directo prius denunciare debet, ut is forte pro eodem pretio, quod extraneus solvere paratus est, jus emphyteuticum emere queat, ita etiam juxta nostrum textum Dominus feudi, in casibus ubi juxta consuetudinem vasallus feudum vendere potest, jus redemptionis habet, secundum quod alii extraneo præfertur. Nisi vel expressè, vel tacitè, videlicet annali elapso tempore sciens & tacens juri suo renunciasset; (h) Annale autem hoc tempus scientiam Domini requirit; tempus enim, cujus lapsu tacita progignitur renunciatio, non fluit ignorantibus, secundum Baldum *in l. annus. ff. d. column.* ubi ejus redditur ratio, videlicet quod is qui nescit, non videatur experiendi potestatem habere. (i) Equum enim est, ut tam diuturni temporis circulo litis omnis seminarium exarescat. *arg. l. fin. C. d. præscript. 30. vel 40. ann.* cum qua non pugnat *l. 2. C. eod.* ex qua colligatur, quod adversus scientem etiam non currat præscriptio. Loquitur enim de hujusmodi casibus, in quibus talis præscriptio non habet locum, v. g. adversus locantem, commodantem, deponentem & similes. Cujus rei ratio est, quia possidens non intelligitur possidere sibi, sed illi domino à quo recognoscit; facit huc *l. male agitur. C. d. præscript. 30. ann.* Excipitur quoq; Pupillaris ætatis Dominus, cui hujus temporis præscriptio non obstat, quo minus jure

redemptionis uti queat *l. sicut. vers. sed pupillari etate. C. d. r.*  
(k) In tali enim feudo antiquo jus quæsitum habent  
agnati ex prima investitura, quocirca meritò non tantùm  
prohibere possunt ne vasallus possessor feudum ad extra-  
neum transferat, sed etiam, alienatus feudum revocare.  
Quod ipsum tamen in terminis procedit habilibus, quatenus  
olim vasallus feudum usq; ad dimidiam partem alienare  
voluit: Secundùm novas verò Impp. Constitutiones, in  
quibus omnis feudi alienatio sine consensu Domini facta  
illicita est, Dominus præfertur agnatis, imò ipsi vasalli  
alienantis filio, per *text. 2. feud. 44. ibi: hodie autem si ipsum  
alienaverit, item 2. feud. 55. vers. callidis. 2. feud. 38. princ. ibi:  
& ad Dominum.* Ratio est in *2. feud. 24. §. deniq; 3.* quia  
vasallus illicitè alienando, Dominum contemnere videtur,  
adeoq; in ipsum graviter delinquere. Nec obstat quoad  
filium, quod durum nimis sit, patris culpâ filii jus quæsi-  
tum auferri. Dupliciter enim respondetur 1. In feudis ita  
receptum esse, ut vasallus, cujus votum est, feudum in fa-  
milia conservari, eò diligentius & fidelius erga Dominum  
se gerat, qui nulla alia de causa feudum, quàm propter fi-  
delitatem concedit. 2. Quia nisi filii jus feudi acquirendi  
eriperetur, aperta via esset publicum jus eludendi. Qui  
enim illicitam alienationem meditatur, nihil curat, se bo-  
nis privari, si modo ad liberos suos pertineant, cum ab eo-  
rum pietate, etiam si leges id vetent, necessaria sibi submi-  
nistrandâ esse pro comperto habeat. Sed quæritur adhuc,  
utrum hoc feudum ita Domino apertum revocabiliter sive  
ad vitam duntaxat alienantis & ejus descendentiùm, an  
verò irrevocabiliter, sive perpetuò apud Dominum maneat?  
Prius affirmandum esse censemus 1. propter *tex. 2. feud. 78.  
vers. hoc autem.* 2. Quia hac ratione Domino & agnatis pro-  
spicitur; illi, ut ob contentum suum feudo fruatur; his, ut  
jus quæsitum ipsis non intervertatur; præsertim quia agna-  
ti illud non ab alienante, sed à concedente & primo acqui-  
rente jure proprio capere censeantur, adeo ut vasallus con-  
trahendo ipsis præjudicare haud possit. Cæterum præfata  
prohi-



prohibitio sic fieri ab agnato potest: Agnatus audiens venditionem feudi vasallum moliri, eum de jure suo admonet, videlicet in memoriam redigens, feudum hoc majorum providentia acquisitum sibi potius, quam extraneo vendi oportere, offeretq; ei pretium, cujus gratiâ ad feudi alienationem proficere cupit. Hoc enim facto alii feudum suum vendere vasallo non licebit § *sed etiâ rei. super per quas. Schenck. Baro. hic.* Quando autem textus noster dixit; pro æquali pretio. Tunc clarum fit, quid sentiendum sit in illa quæstione: Utrum hic considerandum sit pretium, quod emtor dare <sup>2.</sup> vult, vel dedit pro feudo, an verò justum? Nimirum justum seu æquale pretium esse à retrahente solvendum. Si enim cum extraneo licitatore colludens alienator, immodicum atq; immoderatum exposceret pretium, hoc sanè ad justam æstimationem reducere conveniet *arg. l. officium vers. iusta æstimatione facta. C. comm. divid. & l. ult. C. de jure emphyt. Cùm malitiis hominum non sit indulgendum l. in feudo. ff. d. R. V. l. servo alieno. §. ult. ff. d. fideic. libert. Diss. inter alios Finckelth. d. feud. disp. 10. tb. 2. qui 1. Urget. tit. 39. lib. 2. feud. sed ibi nec pretii fit mentio, nec qualitatis seu quantitatis illius. 2. dicit, nisi emtor omne pretium, quod solvit, reciperet, duplici damno & injuria afficeretur; & quod partem pretii dati amitteret, & quod invitus rem emtam restituere teneretur, quod sanè esset iniquum. Verùm respondemus, in suis quidem terminis procedere hanc rationem, si nimirum emtor æquum pretium atq; æquivalens, vel justam æstimationem non longè excedens solvit, tunc totum illud tanquam justum & æquale ipsi est restituendum; Aut si ex collusione immoderatum, in odium atq; præjudicium saltem agnati revocantis dedisset pretium, sanè totum illud non recuperat, sed imputet sibi, quare hoc fecerit, imò damnum non videtur sentire, qui hoc suâ culpâ sentit, per vulgata. Porro controvertitur: An etiam agnatus <sup>2.</sup> vivo alienatore possit revocare feudum, quando titulo lucrativo feudum in alium esset translatum? Quod negandum videtur. 1. Quod jura feudalia quotiescunq; agnato*

facultatem revocandi concedunt, semper requirunt, ut pretium refundat & restituat, testis est noster textus, item *S. sed & res. per quos fiat investit. 2. feud. 3.* Ex hoc autem evidens est, jura illa de venditione tantummodo intelligenda esse, quippe cum regulariter, ubicunq; pretii fit mentio, tum disponentem de venditione sensisse verisimile sit *l. fin. C. d. præd. curial. sine decret. non alien. tit. 10. Tiraq. de retract. §. 1. Gl. 2. n. 1.* Accedit 2. Quod consuetudines feudales sint strictè accipiendæ, nec ultra casum, de quo verba faciunt, porrigendæ, ut notant *Dd. in c. 1. de feud. cogint.* Tertio adminiculatur etiam hisce proprietas verbi: redimere, quod in hoc textu habetur; Hoc enim verbum emtionis, unde quoq; originem sumsit, maximè convenit. Deniq; huc facit, quod regulariter jus retractus ex propria sua natura in illis demum casibus procedit, in quibus res ex titulo oneroso transfertur: secus si ex titulo lucrativo, ut apparet ex *constitutione Frideric. de Jure protimiseos quam lib. 5. feud. recenset. Cujac. add. Cujac. lib. 2. tit. 4. Hartm. Pistor. lib. 2. q. 12 n. 14 15. 16. & 17. Schrad. d. feud.* Sic quoq; in questione est intra quod tempus agnatus jus hoc redimendi exercere debeat? Plerique interpretum existimarunt, quando in extraneum feudum est alienatum, quod tunc intra triginta annorum spacium proximior agnatus redimere possit, ut sentit etiam *Alvarottus in d. §. sed etiam res.* Hæc tamen illorum conclusio propriè pertinet ad eum casum, quando defuncto alienatore sine pretio feudum recuperatur. Secus verò, quando eo vivo redimitur pretio. Jus autem redimendi & revocandi ex diversis fontibus permanant, & sic non sunt confundenda. Uti igitur aliàs in jure *προτιμήσεως* annale spacium attenditur, ita & quando agnati alienatore adhuc vivo eo jure uti volunt, hoc spacium attendere atq; observare debent. Unde quoque scribit *Hartm. Pist. lib. 2. q. 12. n. 21.* Quotiescunq; agnatus annum præterire finit, feudo interim non redempto, tunc amplius jure hoc *προτιμήσεως* uti non potest. Nam quotiescunq; intra certum tempus alicui jus aliquod competit, tum si  
intra

intra illud temporis spatium eo non utatur, illi renunciare  
censetur. *l. si ea. C. qui accus poss.* Ut tamen hoc annale tem-  
pus à contractus celebrati tempore currere incipiat, omni-  
nò necesse, ut agnatus, qui feudum intra illud spatium redi-  
mere debuit, sciverit feudum alienatum esse. Nam igno-  
ranti, ut in præcedentibus, ubi de domino redimente actum,  
dictum, annus iste non currit; Nisi sit ignorantia affectata,  
*arg. l. i. §. i. ibi: Sed si id egit emtor ne cognoscat deberi. ff. d. adf.*  
*emt. crassa & supina, hæc enim pro scientia habetur text. in l.*  
*et si consensum, §. ignorantia. ff. d. contr. emt. & i. nec supina ff. de*  
*jur. & fac. ignorant.* Cæterum, ut quis scire dicatur, atq; ob  
hanc scientiam annali spatio à jure *περονήσεως* excluda-  
tur, non sufficit, eum generalem duntaxat notitiam per-  
functoriè habere, sed requiritur insuper, ut totum nego-  
tium cum omnibus suis qualitatibus penitus cognoverit.  
Cum regulariter is scire dicatur, qui verè & certò scit. *l. in*  
*totum. ibi: nisi vera & certe scientia. ff. d. R. J. (i) Intelligi-*  
*tur tit. de Lege Conradi. 34. lib. 2. feud.* qui textus distinguit,  
ita; aut æquali Domino, aut majori, aut inferiori venditur  
feudum vel proprietas feudi; sed *Frid. Imp. in tit. d. probi-*  
*bit. alien. per Frider. 2. feud. 55. §. præterea.* indistinctè prohi-  
bet, ne Dominus sine voluntate vasalli feudum ad alium  
transferat. Quæ constitutio etiam habet rationem, quo-  
niam Dominus cum vasallo contractum feudalem celebra-  
vit, & ex eo ipsi personæ Domini ad fidem ac servitia est ob-  
ligatus vasallus, ita, ut nec cedere possit hanc obligatio-  
nem Dominus alteri, ideò non potest invito vasallo alius  
planè obtrudi Dominus, & adigi vasallus, ut fidem ac ser-  
vitia exhibeat ei, cui ista non promisit. Notanter tamen  
scribit. *Rosenth. d. feud. c. 9. concl. 62.* Video plerumque usu  
servari, ut eum totæ curiæ, castra, Jurisdictiones, comitatus  
cum omnibus suis juribus & pertinentiis alienentur, jura  
vasallorum simul transeant, idq; sine ulla contradictione sic  
fiat. Quoniam verò textus lectorem remittit ad legem.  
Corradi, commodè quæritur: Utrum statutum faciens  
mentionem de alio, probet, si non apparet de illo, ad quod  
fit

fit relatio? Respondetur autem distinguendo. Aut in statuto referente inseritur tenor statuti, ad quod fit relatio, & tunc non expedit scire de illo. Aut non inseritur tenor, & tunc aut ex statuto referente apparet certitudo dispositi, & idem dicendum; Aut non apparet certitudo, & tunc nisi constet de statuto, ad quod fit relatio, non sufficit statutum, quod se refert ad illud, præsertim in pœnalibus.

**QUIS DICATUR DUX, MARCHIO  
COMES, CAPITANEUS, VEL  
VALVASOR.**

*TIT. X.*

*CONTINUATIO.*

**Q**uoniam in explicato titulo actum de Dominis & vasallis alienantibus feuda, facillè autem oriri posset dubium de nominibus Dominorum & vasallorum, circa quos olim quoq; in pluribus aliter observabatur, quàm hodie, ideò suppositus est præfens titulus, in quo varia Dominis feudi ut & vasallis dantur nomina. Alvarottus hîc.

*TEXTUS.*

**Q**ui à Principe de Ducatu aliquo investitus est, Dux solito more vocatur. (a) Qui verò de Marchia, Marchio dicitur. (b) Dicitur autem Marchia, quia Marcha & ut plurimum juxta mare sit posita. (c) Qui verò de aliquo Comitatu investitus est, Comes appellatur. (d) Qui verò à Principe vel ab aliqua Potestate de plebe aliqua vel plebis parte per feudum est investitus, is Capitaneus appellatur. (e) Qui pro-

proprie valvasor major olim dicebatur. (f) Qui  
verò à Capitaneis antiquitus beneficium tenent,  
valvasores sunt. (g) Qui autem à valvasoribus  
feudum, quod à capitaneis habebatur, similiter  
acceperint, valvasini, id est, minores valvasores  
appellantur, qui antiquo quidem usu consuetu-  
dinem feudi nullam habebant. Valvasore  
autem sine filio mortuo, feudum quod valvasori  
minori dederat, ad Capitaneum revertebatur.  
Sed hodie eodem jure utuntur in Curia Medio-  
lanensi, quo & valvasores. (h) Coeteri verò qui  
antiquis temporibus beneficium non tenent, li-  
cet noviter à Capitaneis seu à valvasoribus acqui-  
sierint, plebei nihilominus sunt. (i) Nam illi,  
qui soldatam habuerunt vel acceperunt, vel ha-  
bent per eam nullum pedagium, sed nec feudi  
usum acquirunt. (k) Soldata autem est præsta-  
tio quædam annua gratuita, quæ à neutra parte  
transit in hæredem. Morte enim dantis vel ac-  
cipientis interveniente finitur. (l) Soldata verò  
dicitur, quia plerunque in Solidorum donatione  
consistit; quandoque autem in vino & annona  
consistit. (m)

*E L A B O R A T I O.*

**V**ocabulum Dux derivari potest vel à ducendo, quod  
ducere debet sibi commissos, atque iisdem viam &  
iter monstrare, aliaque quæ facienda. Vel à dedu-  
cendo in hostilem agrum exercitum. Sic Germa-  
nicè,

F

nicè,

nicè dicitur ein Heerkog ubi Heer significat exercitum Bog  
verò quasi Zieher / quippe Ziehen, vel Zogen est ducere, & Bog  
sive Zug notat expeditionem. Licet alia possit esse vocis  
Heer significatio, quâ videlicet communitatem hominum  
notamus, & sic Heerkog erit Dux communitatis. Origo au-  
tem Ducum alia est Romanorum, alia Germanorum, alia  
Longobardorum, seu quoad Jusfeudale. Apud Romanos  
primum Ducis nomen Magistratum significabat militarem  
*l. 5. §. 1. ff. d. his qui not. infam. l. 3. §. 15. l. 4. in pr. ff. d. re milit.*  
Ex milite enim gradatim ad honores conscendens Tribu-  
nus, postea Dux, deinceps Legatus fieri poterat. vid. *Lip-  
sius in milit. Rom. lib. 2. dial. 11. pag. 35.* Postea cum Romanum Im-  
perium irruptionibus exterorum vexaretur, Imperatores  
bellis continuis implicati, quasi necessitate coacti admi-  
nistrationem & tutelam provinciarum mandaverunt Du-  
cibus, & illis, qui antea bello præfecti fuerant, idque ma-  
jori confidètia, utpote quorû fidem & industriam tempore  
præterito satis comprobatam habuerant. Atque hoc mo-  
do Dux, qui primum bellicæ rei fuerat præfectus, incipie-  
bat haberi gubernator seu administrator, ac postea succes-  
su temporis Princeps. Quoad Germaniam & quidem  
antiquam ex *Stephano Pasquierio* tradit *Livineus de Jure publ.*  
*lib. 4. c. 3.* Francos, Galliâ subactâ à Romanis didicisse Du-  
cibus uti pro provinciarum Gubernatoribus, postea fami-  
lia Crodovei extincta palatii præfecti potestatem regiam  
sibi adscripserant, quasi hereditariam, ita Duces ad idem  
allobarâsse, nomenque Regium ratione provinciarum sibi  
attribuisse. Eos tamen omnes postea per Carolum Mar-  
rellum, Pipinum, Carolum Magnum & ejus filium in or-  
dinem fuisse redactos. Horum itaque tempore Duces,  
qui Regno continebantur Francico, gubernatores provin-  
ciarum fuerunt; Extra verò regnum in provinciis remotis,  
quæ tam facili jugo non poterant teneri, duplices conspi-  
cui erant. Alii Ducatum possidebant in vicem patri-  
monii, ita tamen, ut eum acceptum ferrent Regi. Alii  
æquè, ut priores illi, ipsius in Regni visceribus tantum gu-  
ber-

natores erant. Quoad Jus denique Feudale, & quidem hunc nostrum Textum, Dux ille habetur, qui de Ducatu à Principe summo est investitus, hoc est, cui princeps in beneficium regionem aliquam, quæ ducatus nomen, & characterem habet imperium, concessit, primis temporibus ad vitam, postea in perpetuum *1. feud. 1.* Et licet aliàs res à persona statum sumat. *l. 1. C. d. imponend. lucrat. descript. ac tanquam accessoria possessoris tanquam principalis conditionem sequatur c. accessorium x. d. R. J. in 6.* hoc tamen casu persona à re statum sumit. add *Reink. d. R. S. & E. cl. 4. c. 12. n. 5.* Scribit autem *Matth. Steph. d. Jurisd. lib. 2. p. c. 5. n. 28. & seqq.* quod à se impetrare non possit, ut credat, feudum regale, de quo quis investitus est, facere aliquem v. g. Ducem, Marchionem, Comitem; nisi id ita in quodam regno consuetudine sit introductum. In Imperio Romano talem consuetudinem non esse, sed potius de eo constare, quod licet quis ab Imperatore investiretur de Ducatu aut Marchionatu aut Comitatu, non tamen statim appelletur Dux, Marchio aut Comes, sed Marchionatus tantum possessor, Ducatus aut Comitatus *Inhaber des Fürstenthums/ Graffschafft oder Herrschafft.* Nisi ab Imperatore Duces, Marchiones, Comites creentur, vel ut tales investiantur. Aliàs hac ratione Ducatus, Comitatus haberent majorem vim in creando Duce, Comite, quàm Imperator ipse, cujus tamen speciale reservatum est, conferre Regales dignitates. Et dignitatem non rei, sed personæ coherere, tralatitium est, unde & provincia ex hominis dignitate, non etiam homo ex dignitate provinciæ nomen mutuatur. Quocirca sic dicendum, ideo quem Ducem, Marchionem vel Comitem esse, quod ab Imperatore Dux, Marchio vel Comes creatus est, & quod jam creato Duci, Marchioni, vel Comiti provincia aliqua sustinendæ dignitatis causâ data sit, cum absque ejusmodi provincia esset quid perexiguum, tali nomine Ducis vel Marchionis nominari. Quæ provincia ab accipiente vel Ducatus, vel Marchionatus vel Comitatus appellatur: ex qua appellatione vicissim sunt & dicuntur

Duces, Marchiones vel Comites per relationē, quæ est inter accipientem & provinciam. Hactenus *Math. Steph.* qui tamen n. 46. textui nostro convenienter scribit: Ex dicta mine tamen Juris feudalis, si Imperator feuda regalia, veluti Ducatum, Marchionatum, Comitatum alicui concesserit, in dubio quoque voluntatem conferendæ regalis dignitatis habuisse censerit. *vid. Rosenth. d. feud. c. 2. q. 2. & c. 9. q. 55. n. 4. & 5. Vult. lib. 1. feud. c. 8. n. 10.* Sic quoque principes Ecclesiastici Principis titulo insigniuntur, licet nonnulli eorum plebejo genere sint prognati. Inhæret namque dignitas illa Principis ipsis Episcopatibus ut ita eo ipso, quo quis Episcopus eligitur, simul Principis nomen & dignitatem consequatur, & quidem ex unanimi consensu atq; approbatione Cæsareæ Majestatis ac Statuum Imperii, non etiam ex natura ipsius Episcopatus. Quæri hîc commodè potest, quid sentiendum sit de Duce Venetorum & Genuensium? Diversæ sanè sunt de illis Publicistarum opiniones. Quidam enim nimis abjectè de illis sentiunt. Sic namque scribit *Sixtin. de regal. lib. 2. part. 1. c. 6. n. 64. & Ferrar. in c. 1. §. quod autem. d. feud. March.* hi Duces electione constituti usurpata consuetudine, ab Imperatore tolerata, ita dicuntur. Et *Bodin. d. Republ. lib. 4. c. 4. in fine dicit.* Horum quidem perpetua, sed valde accisa & truncata est potestas, Imo *Vult. lib. 1. d. feud. c. 4. n. 14* putat, eos reverà Duces non esse, sed tantùm capita in ejusmodi Politis inter alios præ eminentia. Cui adstipulatur *Nolden. d. Nobilit. c. 8. n. 148.* quando ait: Ducem Venetorum quod attinet, in Pompa tantùm Princeps est, in Curia senator, extra urbem reus, in urbe captivus, peregrinari enim sine venia non potest. Econtrâ *Dn. Limneus b. m. verò putat lib. 4. c. 3. n. 19.* Ducem Venetorum esse verum Ducem, differre tamen à nostris Ducibus. Ita siquidem sonant ejus verba; Verus itaque, remoto sipario, Dux est ille Venetus, & cum talis sit, caput Reipubl. dictus, nec inde Dux est, cùm caput sit. At regeris, à nostris Ducibus hic multum est differens, à senatoribus eligitur, nec ab Imperatore Dux creatur, splen-



Splendorem potius habet, quam dignitatem Ducalem. Ducatum non transmittit in liberos, & si quæ supersunt alia. Fateor hæc lubens, nec illud volo, Ducem Venetorum nostris Ducibus, qualitates quod attinet plerasque, posse comparari, sed Ducem seum nihilominus dico eâ qualitate, quâ nomini huic placuit tribuere illis, qui eum sibi selegerunt. De Duce verò Genuensi majus habet dubium, cum ille perpetuus non sit, ut Venetus, sed temporalis. (b) Comitum nonnulli simplici voce Graven insignes sunt, alii per compositionem dicuntur Marggraven/Pfalsgraven/Landgraven/Burggraven/ &c. Latinis Marchio, Gallis Marquis, Italis Marchese, originariâ significatione alius non est, quam limitibus regionis cujuscumque præfectus. Et quidem olim complures Imperii Marchiones numerare licuit, ut videre est ex Albino in der Meissnischen Chronick. Tit. 9. p. 211. Ubi etiam tradit, quod Marchionatus Misnicus sit ab Imperatore Henrico Anno 931. constitutus. Verba ejus ita sonant: das Marggraffthum zu Meissen ist vom Kaysen Henrico Anno 931. auffgerichtet und vollenzogen worden wider die Milzenos wie sie Ditmarsus nennet / oder wider die Wenden oder ad reprimendas excursiones Hungarorum & Sarmatorum. Die Brandenburgische Marck ist bestellet worden wider die Henetos und längst zuvor die Landsbergischen in Osterland unter der Stadt Leipzig Welche wie man darvorhält/ sey von den Fränckischen Königen und Kaysern angefangen worden wider die Sorabos, die Meissnische March wider die Böhmen/ die March zu Lausnitz wider die Polen und Schlesiens/ so dazumahl noch unter den Polen begriffen worden / und drunten an der See die Schleswigische March/ wider die Dänen/ daher auch noch der Namen Dännenmarck. Et pag. 216. ad dit. unter Diterico I. der Francken König soll die Marck zu Antorff in Niederland welche man Præfecturam limitis Armorici bisweilen Anglici genennet / auffgerichtet sein. Et pag. 217. die Marchen zu Oesterich und Steyermarck hat Carolus Magnus auffgerichtet/ nach dem er die Ungern geschlagen hatte. Hodie præcipui Marchiones Imperii sunt Misnensis, Brandeburgensis,

Moravia & Badensis, qui licet limitum nunc defensores non sint, nomen tamen ex consuetudine veteri adhuc illis est integrum. Sic quoque scribit. *Justus Sinolt. d. Stat. Rei Rom. d. 8. cb. 6. lit. F.* Quamvis hodierni Marchiones limitum defensores non sint, nomē tamen ipsis ex consuetudine adhuc integrum manet, eorumque numerus hodie ad paucos redactus, qui principibus Imp. annumerantur, licet olim complures fuerint numerati. Ac sic dicitur hodie Marchio, qui de Marchia est investitus à summo Principe *b. n. text. add. Reink. d. R. S. & E. lib. 1. cl. 4. 1. 13. n. 12.* ubi etiam de Italia, Gallia Marchionibus quaedam tradit. Errant ergo qui Marchiones à Marchione quodam Trajano dictos putant; ut & illi, qui à Marcomiro Francorum Duce, aut à Marcomanni equitatu potētibus populis derivare volunt, Quos propterea refutat *Albin. d. l. & Besold. De Badensium Marchionum origine* hæc in specie tradit *Math. Steph. lib. 2. p. 1. d. jurid. n. 25.* illos esse à Romanorum germine, & ex Italia venisse in Germaniam. Nam dum Fridericus Primus Imp. de domo Ducum Suevia exortus per Italiam de urbe progrediens unum ex filiis Marchionis Veronensis de genere Ursinorum Urbis Veronæ Principum procreati obsidem secum duxisset, quo magis sibi Italia terminos & vallem Tridentinam egresso per sui Marchionatus munitiones liber pateret regressus, ex tunc eundem Marchionis filium idem Imperator speciali prosequens favore, Curia suæ imperiali assistere voluit: Cui postea dominum & castrum Hochberg assignavit, & nova arma tribuit. Cum verò idem Marchio successu temporis sine liberis esset defunctus. Nobiles terræ illius pro alio dicti defuncti nepote legatos ad Veronam miserunt, ut Dominium Hochberg. successionis jure ad ipsum devolutum possideret: qui veniens, ac domini illius possessionem nanciscens ibidem vitam finivit, à quo & Marchiones de Baden processerunt, & titulum Marchionatus originaliter non à Dominio Badensi, quod ab antiquo Comitatus erat, sed ex Verona & Romana Urbe contraxerunt. *Ad. Petr. d. Andl. lib. 1. de Imp. Rom.*

*Rom. c. 15. (c)* Non igitur Marcha aut Marchia à mari dicitur quasi marica, ut voluere plerique Interpp. adh. n. text. Sed à finibus; qui tamen plerumque mari adjacebant. *Vult. lib. 1. d. feud. c. 4. n. 14.* licet hoc generale non fuerit. Erronea quoque est illorum opinio, qui autumant Marchæ vel Marchiæ nomen esse Græcum & corruptum: Nomarchiam Græcè dici provinciam, unde rejecta syllaba mansisse Marchiam. Et in hac opinione quoque esse videtur *Heig. p. 1. q. 2. n. 60. Lycam lib. 5. membr. colox. 9. (d)* Comitum nomē per se consideratū potius honoris fuit, quàm certi officii titulus *Limn. d. Jure publ. lib. 4. c. 1. 4. n. 1.* Etenim sub Romanis Imperatoribus Comitum appellatio fere communis fuit omnibus, qui comitabantur Imperatorem *Wesenb. in π. C. d. offic. comit. sacr. largit.* magis tamen illis propria, & secundum excellentiam, qui non solum in Comitatu Principis erant, verum etiam aliquod officium aulicum administrabant. Hinc non solum in legibus, verum etiam alibi sæpius mentionem fieri deprehendimus Comitum sacrarum Largitionum, Comitum sacri Patrimonii, rerum privatarum, sacri Palatii, Comitum consistorialis &c. Postquam autem Imp. ex suo Comitatu probatissimos ad regendas Provincias ablegare cœperunt, illi retento Comitum nomine in suis officiis regendo, judicando scilicet effecerunt, ut Comes idem diceretur, quod iudex *Limn. p. m. d. Jur. publ. lib. 4. c. 4. n. 3.* Et cum postea provinciæ, quibus Comites illi seu Judices præerant, in feudali, & hæreditario jure cum dignitate regali transferri cœperint, nomen illud remansit. *Reink. d. R. S. & E. c. 14. n. 24.* Secundum nostrum textum verò Comes ille dicitur qui ab Imp. vel summo Principe de Comitatu est investitus, id quod & hodiernis moribus est conveniens. Cæterum in Imperio Rom. Germ. Comites diversimodè inter se distinguuntur; Nonnulli enim sunt Comites Imperii Reichsgraven/qui immediatè ab Imperatore de Comitatu sunt investiti. Et rursus sunt vel *Gesürstete Gra- ven* cujusmodi sunt Habsburgenses, Tirolenses, Hennebergenses, Arnbergenses, Mompelgardici, Schaumburgensis, quem

quem Ferdin. II. Imp, Anno 1619. Francofurti post coronationem Principem esse iussit, & alii, qui in Recessibus Imperii verbo Fürstenmäßige veniunt vid. *Sammergerichts Ordn. zu Wormbs anno 1496. tit. wie Churfürsten / Fürsten / und Fürstenmäßige Graven* & passim in *Recess. Imp.* Vel dicuntur simpliciter Graven / quorum magnus in Imperio est numerus. Deinde & II. Quidam Comitum sunt status Imperii; Quidam non. Illi ad Comitata Imp. vocantur, hi verò non. Imò dantur III. Comites Codicillares, qui titulo tales sunt, quorum teste *Justo Sinolt. d. Statu, Rei Rom. disp. 8. th. 7. lit. B.* in Italia magnus est numerus. Solet autem hic quæstio talis moveri: Utrum Comites & Barones dignitate inter se sint pares; Quod *Vult. de feud. lib. 1 c. 4. n. 14. Clutcn. in sylloge, concl. 26. lit. 1. & Besold. in dissert. d. Comit. & Baron. n. 20.* affirmant. Et addit allegatus jam *Justus Sinolt. p. m. d. th. lit. D.* quamvis Comes in sedendo honorem habeat, tamen in omnibus rebus suscipiendis, honoribus administrandis haud quaquam Comite censetur inferior, & in novissimis Imperii constitutionibus æquiparantur, tum quoad Leges vestiarias *Reform. Polit. Anno 1630. von Graven und Herren / & de anno 1548. tit. von Graven und Herren. idem in Ordin. Politica. Francofurt. sub tit. 13.* tum etiam in *Matricula Imperii*, in privilegio & jure Austregarum. *Ord. Cam. p. 2. tit. 3. 4. & 5.* tum etiam in munere Judicis ac Præsidi Camera Imperialis *d. Ord. Cam. p. 1. tit. in n. & §. 2. R. A. d. Anno 1570, Sixtin. d. Reg. lib. 1 c. 4. n. 41.* Sic etiam Barones unà cum Comitibus in Comitibus Imp. Jus suffragii habent, attestante *Bertram. d. Comit. Imp. concl. 39. & æquè ac Comites Illustres appellantur. Reink. d. l. n. 48.* Imò habentur in Imperio Rom. Germ. Barones, qui quibusdam Comitibus præferuntur, veluti die *Herren Reissen von Plawen Linburgici & Waltburgici Paurmeister Id Jurisd. c. 1.* Noc obstat 1. Quod sæpè post Comites fiat mentio Baronum. Ab ordine autem, scripturæ firmum quoad præcedentiam necti potest argumentum *Everh. in top. loc. ab ordin 13.* quod etiam ex nostro textu & *tit. 1. lib.*

lib. 1. feud. ostendere Diss. volunt. Rectè cum resp. *Reink.*  
*p. m. n.* Si. Ordinem scripturæ non semper arguere diversum  
dignitatis gradum siquidem etiam inter eos, qui in eodem  
dignitatis gradu sunt, ordo aliquis servatur. Sic inter Prin-  
cipes æquali dignitate præditos unus præfertur alteri ad  
evitandam confusionem. Imò ex ordine præcedentiæ non  
rectè diversitas dignitatis infertur. Cum inter, ipsos Co-  
mites aliquis sit ordo præcedentiæ, non tamen diversus,  
dignitatis gradus. II. Non obstat, quod in nostro textu  
nulla sit mentio Baronum. Nam resp. I. illud inde fieri,  
quod illa dignitas in Longobardorum republica fuerit in-  
cognita teste *Garf. Mastrill. d. Magistralib. lib. 4. c. 2. n. 64. 2.*  
*resp. ex c. 1. d. feud. Marchie 1. feud. 14.* Deinde in opposito  
textu enumeratis quibusdam feudis, quæ regalem habent  
annexam dignitatem, adduntur verba: vel alia, seu aliqua  
Regali dignitate investitus fuerit quæ utique demonstrant,  
plures esse regales dignitates, quàm ubi enumeratæ sunt,  
ut ostendit *Rosentb. d. Feud. concl. 1. cap. 2. lit. E. Schrad. d.*  
*feud. c. 3.* Et particula aliqua ibi ponitur pro particula, alia,  
quæ est repetitiva similium *Gl. & Dd. nil. fugitivi C. d. serv. fu-*  
*git. (e.)* Postquam de feudis regalem dignitatem haben-  
tibus in præcedentibus verbis actum, subjiciuntur quædam  
de feudo non regali, quod quoniam illud à Principe, vel ab  
alio potestatem habente conceditur, facit quidem aliquem  
Capitaneum, verum non regni vel regis, qui propriè seu  
*καπετάνη* talis dicitur, quasi sit caput & vertex eminent  
inter alios vasallos. *Vult de feud. lib. 1. c. 4 u. 14.* Sed talem  
qui valvasor major antiquitus propriè dicebatur (f) Qui &  
valvasores Dominici appellatur *Goth. in not. ad n. text. lit. G.*  
ubi *Annonium*, de valvasore majore. allegat. (g) Qui ergò à  
Capitaneis regni, vel regis feuda accipiunt, & his si-  
militer, hodie quidem Capitanei appellantur, Sed sine  
illa adjectione videlicet regni vel regis, quanquam re-  
gni vel regis valvasores improprie nuncupentur *S.*  
*sunt & alii 1. feud 1.* Sic etenim eleganter scribit *Vult. d. l.*  
Capitaneorum alii dicuntur ita propriè; alii im propriè.  
G Pro-

Propriè capitanei sunt illi, qui à summo Principe, vel Rege acceperunt feuda præcipuè & majoris nobilitatis. Impropriè verò Capitanei sunt plebi vel plebis parti gubernandæ à Principe vel Republ. aliqua, vel comite vel duce præpositi juxta *Cujac. ad h. text.* Sed quærit porro *Vult. d. loc.* Quid hoc est, quod dicitur plebi vel plebis parti? Existimo hæc vocabula opponi tribus illis summis indignitatibus, de quibus Obertus paulò ante dixerat; nimirum Ducatui, Marchionatui & Comitatu, quasi dicat Obertus, siquis ab Imperatore vel aliqua potestate de feudo in vestitur, ne tamen de eo investitur, ut de Ducatu, Marchionatu, Comitatu, atque adeò qui non investitur de una summarum illarum dignitatum, sed de aliqua minore, is investitus esse dicitur de plebe, hoc est, de ejusmodi feudo, quod est tenuius atque si comparetur ad feuda summarum dignitatum, videatur esse quasi plebejum. (b) Qui nunc porro feudum à Valvasore majore, quod hic à Capitaneo consecutus est, possidet, ille valvasinus seu minor vasallus appellatur, & respectu priorum, atque successionis quoad antiquum usum feudum non censeatur possidere, quoniam valvasore mortuo sine filio feudum quod tenebat ad lapitanæum, à qua primitus veniebat revertebatur. Quod tamen in Curia Mediolanensi postmodum est correctum, ita ut hodie etiam jure valvasorum uti queat. (i) Hæc verba ita explicat *Vult. d. l. si præter hos vasalli sunt alii qui neq; ab Imperatore, neque à Duce aut Marchione aut Comite sunt investiti, vel qui à majore vel minore quidem valvasore investiti sunt, sed longam annorum seriem, qua feudum onusve militiæ ei annexum in familia sua resedit, narrare non possunt, illi dicuntur plebei.* (k) Sciendum hîc primò pro verbo: *pædagium.* *Bald. & Alvarottum* legere *paradogium*, quod nobilitatem significat; *Cujacium* verò *paragium*, eo sensu. Plebejos de quibus jam actum, pares *Curtis Domini* non censeari parium dignitatem solos nobiles habere. *Hottomannus* autem putare, *pedagium* hîc sumi pro viatico militari, à pede, *pedare* derivatam II. verba hæc: Sed nec feudi usum acquirunt, indicare, feudum Soldatæ esse feudum

dum improprium. Quoniam enim hoc feudum in annua  
præstatione consistit, & ad hæredes non est transitorium,  
non potest non esse improprium. (l) Quæritur autem An  
hoc feudum Soldatæ differat à feudo Cameræ & Cavenæ?  
Quod licet negant *Borch. d. feud. c. 4. n. 29. vult. lib. 1. c. 8.*  
*Hattys. c. 4. n. 14. & alii;* tamen affirmandum esse putamus.  
Nam 1. si alicui seni militi benè merito & ad inopiam fortu-  
næ fortè calamitate redacto, de annua pro alimentis præ-  
statione sub titulo feudali provisio fit vulgò eine Pfünde &  
quidem gratis feudum dicitur Soldatæ non verò feudum  
ex Camera vel Cavena, quod ob servitium datur 2. Soldatæ  
est præstatio annua & gratuita, quæ à ueutra parte tam  
dantis quàm accipientis, transit in heredem h. n. text. un-  
de quoque feudum, personalissimum dicitur. Feudum verò  
Cameræ & cavenæ ad heredem dantis transit. *Rosentb. d.*  
*feud. c. 2. concl. 75. Zasius d. feud. part. 12. u. 31. & 32.* Nec re-  
fragatur, quod feudum sit quidam usus fructus, usus fructus  
autem morte proprietarii non expiret *l. 3. l. corruptio. C. d.*  
*usufruct.* Ergò nec feudum Soldatæ morte dantis expirabit.  
Respondetur enim quod Soldatæ semper sit gratuita. Usus  
fructus verò non. Atque sic non licet ab hoc ad illam argu-  
mentari. *vid. Alvarott. ad h. n. 2.* ubi ad alias objectiones,  
ad rem tamen parum pertinentes, respondet II. Quæritur,  
Num per pactum effici queat, ut feudum soldatæ ad here-  
dem transeat? Et hoc cum *Andr. d. Isernia* rectè affirmat  
idem *Alvarottus. d. l. n. 3. 1.* Quia constat hoc in casu de vo-  
luntate concedentis. Proinde 2. servanda erit promissio  
ab eo facta. Et 3. quod ab initio erat voluntatis, hoc per  
pactum adjectum, quod aliàs negotium informare solet, ad  
necessitatem est redactum. (m) Alii derivant hoc voca-  
bulum Soldatæ à Sold/ quod Germanis stipendium sive mer-  
cedem significat unde quoque descendit Besolden. Et Italis  
Soldo est militare stipendium, & Soldati dicuntur, milites  
stipendiarii. Verum rectius sentit Feudista in nostro textu.  
Cum soldatæ sit gratuita præstatio id quod innuit textus  
per verbum; Donatione. Stipendium verò quod militibus

solvitur, datur propter servitia militaria. De cætero quaeritur: An hoc feudum Soldatæ ab annuo honorario vulgo *Gnabengeld* differat? Quod omninò affirmandum. Soldata enim est feudum. Annum verò illud honorarium feudum non est. Et licet in textu hæc habeantur verba: sed nec feudi usum acquirunt, ex quibus quis colligere posset, Soldatam non esse feudum. Tamen hæc verba aliud non important, quàm Soldatam non esse feudum proprium. Cæterum *Rosentb. d. feud. cap. 2. concl. 75.* ita statuit; posito, quod Soldata sit simpliciter id, quod ex gratia dari solet quotannis, non autem in feudum, sequeretur illam in nullo distare ab eo, quod emeritis, Principum ac Dominorum Consiliariis, aut officialibus ex camera annuatim numerari solet; quod nos *Gnabengeld* nominamus. Non enim esse feudum *Camere* cum *Thoma de Pharinis tit. 24. n. 5.* haud gravatè concluderim, cum non detur in feudum, sed ista gratia à Soldata in eo plerunque differt, quod ad vitam accipientis, & ob merita præterita dari solet, quamvis non negarim & Soldatam quandoq; obmerita, & hoc scilicet *Gnabengeld* perpetuo, ex pacto vel feudi concessione dari posse.

**A**n Equites Hierosolymitani, Rhodienses, Teutonici & similium Ordinum ad successionem feudorum admitti debeant? N.

An investituram fidelitas præcedat? A.

An foemina in feudo franco succedant? N.

Si vasallus Domini viduam ecurbitaverit, an feudi amissione mulctandus sit? N.

Imperator noster præ omnibus aliis Regibus præeminentiam obtinet, adeoque Romanus hodiè adhuc rectè appellatur.

Utrum Nobiles immediati sint status Imperii? N.

An Nobiles exempti ad requisitionem istius Principis, in cujus territorio bona feudalia colunt, ut cæteri Landsassii coràm Judici ô Aulico & Curiali in persona comparere teneantur?

Num Dictator in Republ. Romana veteri habuerit majestatem? A.

In



Jena, Diss., 1666 S-2

ULB Halle 3  
004 371 291




f

56.

Krit.







*Handwritten in the left margin:*  
A. S. II. p. 10

*Handwritten in the top right corner:*  
~~218. 566~~  
30.

DISPUTATIO FEUDALIS  
Continens explicationem  
TIT. IIX. IX. X. LIB. II. FEUD. ac ad  
hosce spectantes nobiliores  
controversias succinctè re-  
solutas,

*Handwritten in the right margin:*  
5

*Quam*  
DIVINA ADJUVANTE CLEMENTIA  
SENSU MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS IN  
ILLUSTRI SALANA,  
PRÆSIDE  
PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTIS-  
SIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO  
DN. ERNESTO FRIDERICO  
*Schröter* / Hæreditario in *Wickershadt* / Juris Consulto  
ac Antecessore hujus Academiae Celebratissimo, Consiliar. Saxon. Cu-  
ria Provinc. Facultatis Jurid. ac Scabinatus Assessore  
gravissimo,  
Dn. Promotore ac Doctore suo omni observantia &  
venerationis cultu prosequendo, excipiendo,  
*Mense Februar.*  
H. Lq. C.  
*Publica Eruditorum censura submitte*  
JOHANNES GEORGIUS *Lange*  
Altenb.  
Typis JOHANNIS WERTHERI,  
ANNO M. DC. LXVI.

